ANTONII HENRICI VAN DER BOON MESCH,

DELPHENSIS,

MEDICINÆ STUDIOSI IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

COMMENTATIO

AD

QUÆSTIONEM AB ORDINE PHILOSOPHIÆ THEORETICÆ
ET LITERARUM HUMANIORUM IN ACADEMIA GANDAVENSI

M. DCCC. XXII. PROPOSITAM.

« *Quaeritur commentatio Historico-Antiquaria, in qua* 1° *expo-*
» *nantur, quaecunque ad censum et censuram Romanorum per-*
» *tinuerunt, et* 2° *Fasti censorii exhibeantur, e quibus appareat,*
» *accurate citatis veterum locis, quid a Censoribus, muneris*
» *solá ipsorum ratione habitá, dignum memoratu peractum sit.*"

QUÆ PRÆMIUM REPORTAVIT DIE VII OCTOBRIS M. DCCC. XXIII.

Antiquitatum Romanarum materia e limpidissimis Veterum fontibus haurienda.

WYTTENBACHIUS.

PRAEFATIO.

Romanarum Antiquitatum et jucundam esse doctrinam, et ad omnes eruditionis partes utilem in primis ac necessariam, plures eaeque gravissimae docent rationes. Nam, ut de praecipuis dicamus, versatur illa doctrina cum in magnâ diversissimarum rerum varietate, tum in origine illius gentis, ejusque moribus exponendis, cujus res gestae cum omnium fere populorum, qui Asiam et Europam incoluerunt, historiis sunt conjunctae. Praeterea satis intelligitur, quo magis elegantiae atque eruditionis laude gens aliqua censeatur, eo majorem illius Antiquitates habere commendationem. Quam elegantiae atque eruditionis laudem, licet minorem quam Graecos, magnam tamen et mirabilem habuisse Romanos, inter omnes constat. Ab eo igitur tempore, quo homines suum pectus limpidissimis antiquarum literarum fontibus irrigare coeperunt, viri eruditi exstiterunt, qui, ut omnes artes et disciplinas Veterum scriptis consignatas, sic et Romanorum vetustam historiam, quam recentiores

Antiquitatum *nomine vulgo significant, suis studiis complecterentur; quippe qui harum doctrinam maxime et referendam ad Auctorum intelligentiam, et ab eá ducendam judicarent. Ergo illi, ut Antiquorum lectionem expeditiorem ac faciliorem redderent,* Antiquitates *in primis* Romanorum *sibi scribendas et ornandas susceperunt: et in eo multi ita versati sunt, ut ex eorum scriptis Romanae civitatis res sive publicae sive privatae plane cognosci possint. Deinceps alii aliam harum* Antiquitatum *partem sibi explicandam sumserunt; quorum quisque hac in re eo melius profecisse dicendus est, quo magis e Veterum ipsis fontibus hauriendum existimaverit. Certe autem affirmare posse mihi videor, harum fere nullam aliam esse partem, quam Censum et Censuram, de quá tam multi iique doctrinae ubertate et elegantiá clari viri scripserint. E quorum numero híc tantummodo eos intelligimus, qui de hoc argumento peculiares disputationes scripserunt. Ex his itaque, qui proxime nobis adeündi erant, praecipue nominandi sunt Vincentius Gravina, Lipsius, Perizonius, Janus, Valoisius et Thomasius, qui diversá etiam ratione, ut singulorum ferebat et doctrina et ingenium, de Censu et Censurá commentati sunt. His ergo, uti et aliis recentiorum, ita usus sum, ut eos testes laudaverim, quoties novi quid protulerunt, aut errorem ab aliis commissum refutárunt. Ceterum in re pervulgatá eos non memoravi, cum aptius huic meo scribendi consilio judicarem, Antiquos Auctores ipsos laudare, e quibus illi hauserunt, et unde plerumque sua habent.*

Ceterum de ratione responsi instituendi, quam judices meos, Viros Clarissimos, probaturos esse magis opto, quam spero, aliquid dicendum videtur. Optimum judicavi quaestionem propositam quam proxime sequi. Atque ideo responsio duabus partibus continetur.

In quarum alterá de Censu et Censura dixi, in alterá Fastos Censorios exhibui. Prima pars tribus capitibus absolvitur, quorum primo de Censu agitur, altero de Censura, tertio de munere Censorum. Quod ad postremum caput attinet, animadverti velim, propterea me separatim de Censura et munere Censorum egisse, quod si haec uno capite tractarentur, illud nimium cresceret. Et re vera censorum officia eo diligentius erant quaerenda et explicanda, quo magis Censorii magistratûs in majestate reipublicae Romanae tuendá dignitas perspiceretur, et quo melius deinde ipse dijudicare possem in Fastis exhibendis, quid a Censoribus, muneris solá ipsorum ratione habitá, dignum memoratu peractum esset. Sed et hoc monendum est, me quinque partibus tertium caput absolvisse, licet alii hujus magistratûs munus in duas partes diviserint, alii in tres vel quatuor; qui tamen omnes in eo conveniunt, ut cum de magisterio morum agant, simul etiam loquantur de potestate Censorum, quá senatum ejusque Principem legebant, et equites centuriabant. Horum vero rationem non secutus, primum de senatûs lectione egi, et tum de regimine morum dicendum putavi.

In secundá quidem parte, ad Fastos censorios exhibendos maxime mihi perscrutanda erant fragmenta Fastorum Capitolinorum, in quibus Romanorum magistratuum, bellorum, triumphorum, et aliarum rerum memorabilium tempora continentur. Harum autem Tabularum reliquiae, anno 1547 *inventae, primum curá Marliani anno* 1549 *prodierunt. Et quod multis locis erant mutilatae, earum lacunas explevit ipse, at ita tamen ut, quae Marliani sunt, facile discerni possint a reliquis. In quo prudentem hunc virum non secuti sunt Robertellus, Onuphrius Panvinius, et nostris temporibus Hokius, Vir Cl. Adeo ut, his tabulis semel inspectis, facile quis in eam venire posset opi-*

nionem, has non solum non esse mutilatas, verum etiam in iis fere nihil desiderari. Unde factum est, ut multi Fastorum Capitolinorum auctoritatem laudaverint, cum tamen illorum editores, si qua est iis auctoritas, laudandi fuissent. Multi deinde viri docti harum tabularum fragmenta ex historiae monumentis illustrârunt, earumque lacunas expleverunt: inter quos prae ceteris nominandi sunt Sigonius, Onuphrius Panvinius, et Pighius. Quorum alii Catonianam rationem in annis definiendis, alii Varronianam, secuti sunt.

Sed hoc loco animadvertendum est, Onuphrium Fastos, quos a M. Verrio Flacco conscriptos narrat Suetonius (1), *confudisse cum Fastis Capitolinis, quos tamen maxime diversos fuisse tunc demum apparuit, cum haec marmora deinceps effossa sint* (2). *Horum denique Commentarii ad Fastos exhibendos mihi multo usui fuerunt, et idcirco suis locis testes laudantur. Sed fateri mihi liceat, cum omnes illi docti Grammatici consueverint contenti esse auctorum tantum nomina citasse, me eo diligentius Veterum fontes adiisse et indicasse, ut tandem aliquando voluntati Clarissimi Ordinis, quantum possem, satisfacerem.*

Haec sunt, quae praemonenda habui. Ceterum ut haec disputatio dijudicetur, tamquam ab auctore, suae sibi tenuitatis conscio, juveniliumque modo virium periculum edente, profecta, maximopere opto.

---

(1) Vid. Suet. de Illust. Gramm. Cap. 17.

(2) De Fastis Capitolinis et Verrio Flacco in primis videndi sunt Fabricius et Ernestus Biblioth. Lat. Tom. III. Lib. IV. Cap. 3. pag. 303, et Harles. Introd. in Not. Lit. Rom. P. II. § XXXI. pag. 357 et 359. Edit. Norimberg. 1781.

PARS PRIMA.

CAPUT I.

DE CENSU.

Census proprie a *censurâ* distingui debet, quod a nonnullis Antiquitatum Romanarum scriptoribus neglectum videtur. Census enim est rerum ac bonorum civium æstimatio, secundum quam tributa pendebantur, civesque in classes distribuebantur. Censura vero est ipse magistratus. Cumque censores censûs causa creati sint, omnino patet, censum fuisse ante censuram. Ille autem sub regibus, consulibusque aliquamdiu fuit; hæc vero cœpit demum Romæ anno Urbis CCCXI (1).

Ipsum nomen *census* varias habet significationes. Primum *census* dicitur æstimatio vel descriptio rerum ac bonorum, secundum quam tributa solvebantur: qua significatione censores dicuntur *censum agere*. Secundo census significat tabulas censorias, in quibus scribebantur, quæ quisque profitebatur, et in censum deferebat (2): qua potestate dicuntur censores *in censum referre* (3). Tertio *census* notat ipsa bona om-

(1) Hoc docet Justus Lipsius in Tractatu de Censura et Censu pag. 611.

(2) Vid. Cic. pro Archia Poët. cap. 5, pro Cœlio cap. 32, et Flor. lib. I cap. 6 ibique Duker.

(3) Hæ formulæ explicantur a Joh. Fred. Gronovio de Pecun. Veter. pag. 260.

niaque ea, quæ in censu apud censores deferebantur: unde apud Propertium:

Matrona incedit census induta nepotum (1).

Quarto *census* notat divitias, quas quisque cives possidere debebat, si in hanc illamve classem referendus esset: unde dicitur *census senatorius, census equester.*

Censûs apud Romanos auctor statuitur Servius Tullius, Romanorum rex (2): et forsitan hoc fecit exemplo Græcorum. Nam Theseus, Atheniensium rex, civitatem in tres classes divisit, et primus distinxit Ευπατρίδας, Γεωμόρους, καὶ Δημιουργοὺς, et patriciis curam sacrorum et magistratuum legumque interpretationem dedit (3). Quos ordines, qui a Græcis τιμήματα vel τέλη appellantur, Solon aliquo modo mutavit pro eorum facultatibus. Solon enim in prima classe hos posuit, quorum facultates præbebant quingentas mensuras fructuum et aridorum et liquidorum, eosque πεντακοσιομεδίμνους appellavit. In secunda classe eos, qui equum alere poterant, aut utriusque generis trecentas mensuras præbebant: et hic *ordo equester* nuncupabatur. In tertia autem classe censebantur Ζευγῖται, sive opifices, quibus erat trecentarum vel ducentarum, ut Pollux (4), modus. Reliquis denique, qui θῆτες sive mercenarii dicebantur, nullum magistratum permisit (5). Quod propterea addidimus, quoniam hocce Servii Tullii institutum quam maxime geminum est consilio Solonis, atque totius distinctionis civium apud Romanos æque ac Græcos fundamentum in opibus positum erat: quæ opes apud hos proventibus annuis, apud illos nummis censebantur (6). Et sapientissi-

---

(1) Vid. Propert. lib. III. Eleg. XI. v. 11.

(2) Livius lib. I. cap. 42. Dion. Hal. lib. IV. cap. 15, Flor. lib. I. cap. 6., Eutrop. lib. I. cap. 7. Messalæ Corvini lib. de Augusti progenie pag. 378. Tom. I. Hist. Rom. Script Lat. Min. a Sylburg. edit.

(3) Vid. Plut. in Theseo.

(4) Vid. Pollux lib. VIII. cap. 10.

(5) Vid. Plut. in Solone cap. 18.

(6) Eleganter hac de re disputat Jo. Guil. Janus Dissert. *de Censu Romanorum primo* pag. 35 et seqq. Hæc dissertatio invenitur in Jani opusculis, quæ edidit Christ. Adolph. Klotzius Halæ anno MDCCLXIX.

mum plane fuit regis consilium, qui voluit, ut omnes cives, qui Romæ pariter atque extra urbem commorarentur, bona sua jurati æstimarent, atque hunc censum, et simul numerum ac nomina uxorum, liberorum, servorum atque etiam domicilii locum indicarent (1). Hac enim ratione civium numerus et opes atque adeo totius civitatis vires certo cognosci poterant.

Primis temporibus quo loco census actus fuerit, incertum est, quamquam non videtur illorum conjectura rejicienda, qui putant, censum primum in foro fuisse peractum (2). Postea tamen fuit institutum, ut ageretur in villa publica, quæ sita erat in Campo Martio, idque anno urbis CCCXVIII. Scribit enim Livius » Eo anno C. Furius » Pacilus et M. Geganius Macerinus censores villam publicam in » Campo Martio probaverunt, ibique primum census actus" (3). Sunt viri docti, inter quos Sigonius (4) et Hannekenius (5), qui existiment, hunc morem non semper apud Romanos invaluisse, et tempore C. Julii Cæsaris non in villa publica censum peractum fuisse sed vicatim. Utque hanc suam opinionem confirment, afferunt locum Suetonii » Recensum populi nec more nec loco solito, sed vicatim per » dominos insularum egit" (6). Verum non animadvertisse videntur ibi *recensum* legi. Census autem et recensus maxime differunt. Census est universi populi, recensus modo pauperiorum, qui frumentum publice accipiebant (7).

Modus, quo census fiebat, variis consistebat ceremoniis, et diserte describitur a Varrone (8). Censores autem in Campo ad Aram Martis in Sellis curulibus considentes, solemnem illam precationem usurpabant:

---

(1) Vid. Dionys. Hal. lib. IV. cap. 15.
(2) Vid. Onuph. Panv. de Civit. Rom. Tom. I. pag. 298. Thes. Ant. Rom. Græv.
(3) Vid. Livius lib. IV. cap. 22.
(4) Vid. Car. Sigon. de Antiq. jure civ. Rom. lib. I. cap. 14. in fine.
(5) Vid. Hannekenii Dissert. de Cura Domest. Rom., Novi Thesaur. Antiq. Rom. Sallengrii Tom. I. p. 1324. litt. E.
(6) Vid. Suetonius in vita Jul. Cæs. cap. 41. Similis locus est in vita Augusti, cap. 40.
(7) Vid. Græv. ad Suet. l. c. et in præfat. Tom. I. Ant. Rom. Thes.
(8) Vid. Varro de Ling. Lat. lib. V. p. 61. edit. Josephi Scaligeri.

» Ut ea res mihi, Collegæque meo, bene et feliciter eveniat (1)." Deinde a Senatu in Capitolium deducti faciebant sacra, cumque ea rite peracta essent, in Campum Martium reversi in villa publica præconem jusserunt populum vocare in *Licium* (2), hoc est, ad concionem. Sed priusquam populus censebatur, jusjurandum præstabant censores, se neque odio neque gratia quidquam gesturos, sed ex animi sui sententia, quæ reipublicæ utilia essent, deliberata facturos (3). In censu autem ipso agendo quidam ordo observatus videtur, ita ut primum Senatores, deinde Equites, postremo plebs censerentur. Et hoc potest aliquomodo probari ex eo, quod Livius post descriptam Senatûs lectionem plerumque de Equitum recognitione, plebisque censu agit (4). Atque hoc loco non prætermittenda est Manutii sententia, qui existimat, primum singularum tribuum nomina legi tantum, et deinde Equites omnium tribuum in unum collectos recitari; ita enim fiebat Equitum census seorsim a plebejis, sicuti Senatores censi erant seorsim ab Equitibus. Et hanc suæ opinionis rationem reddit: »Sic omnes, inquit, simul Equites esse censos, » ita verisimile est, ut dubitare, nisi qui, quod ajunt, nodum in scirpo » quærat, nemo possit; alioqui ad recognoscendas Equitum centurias, » quam longi temporis fuisset opus, si, dispersis per omnes tribus Equi- » tum nominibus, diversis in locis permisti cum plebejis legerentur" (5). Post itaque Senatorium et Equitum censum plebs censebatur. — Magna vero est controversia inter viros doctos, utrum populus in tribus, an vero in classes et centurias divisus censum professus fuerit. Eorum autem opinioni, qui censum centuriatim actum contendunt, favere videtur Festus (6), et Asconius Pedianus (7). Alii vero existimant contrariam suadere sententiam Livii verba, »Quum ad tribum Polliam ventum est,

(1) Vid. Livius lib. XL. cap. 45 et 46. et Varro l. c.

(2) Vid. Varro l. c. et Festus in voce *in Licium.*

(3) Vid. Pigh. Annal. Rom. tom. I. pag. 166. Franc. Hottoman. de Mag. Rom. pag. 1866. litt. B. tom. II. Thes. Ant. Rom. Græv., ibique verba Zonaræ.

(4) Vid. Livius lib. XXVII. cap. 11. lib. XXXIV. cap. 44. lib. XXXVIII. cap. 28. et lib. XLV. cap. 15. et alibi.

(5) Vid. Paul. Manut. de Civit. Rom. pag. 34. litt. B.

(6) Vid. Festus in voce *ni quis scivit.*

(7) Vid. Ascon. Pedian. Comment. in Cic. Divin. in Q. Cæcilium, cap. 3.

» in qua M. Livii nomen erat, etc." (1). Hanc controversiam tollere conatus est Manutius, » Post expletas vero, ajens, XXXV tribus non in centuriis, sed in sua quemque tribu censum esse crediderim. — Itaque » hanc veterum quasi controversiam ita dirimemus, ut nominatas quidem et recognitas in censu singulas tribus, nomina tamen civium in » sua cujusque centuria scripta esse dicamus" (2). Minus vero hanc Manutii sententiam probabilem esse censet Grævius, et quemvis civem censum fuisse in sua centuria, ex delectu militari probari posse putat (3). Et sane hujus Manutii sententiæ, etiamsi non adeo rejicienda videtur, in Livii verbis non multum præsidii est, cum Livius non de censu civium, verum de recognitione centuriarum Equitum agat, neque pateat, idem quod in censu Equitum, etiam in civium censu factum fuisse (4). Fatendum tamen est, cives in tribus divisos censum professos fuisse, aliquomodo ex eo probari posse, quod e censu demum populus in classes et centurias dividebatur; quod etiam confirmatur verbis Dionysii Halic. » πρῶτος ἐπέταξε Ῥωμαίοις ἅπασι ποιῆσαι τιμήσεις κατὰ » φυλὰς τῶν βίων ἐνεγκεῖν, προσγράφοντας γυναικῶν καὶ παίδων ὀνόματα, » καὶ ἡλικίας ἑαυτῶν τε καὶ τέκνων." (5). Sed quoniam tempus, quo cives in tribus divisi censeri cœperint, non accurate definiri potest, nonnulli in hanc opinionem inciderunt, hoc post primos censores creatos demum institutum esse (6).

Qui censebantur erant cives Romani, cujuscumque conditionis, a quibus excipiebantur orbi et orbæ sive pupilli et viduæ (7). Nec modo præsentes censebantur, verum etiam illi cives, qui per Italiam vel per provincias degebant, quique non fere Romam, nisi censendi causa,

---

(1) Vid. Livius lib. XXIX. cap. 37.

(2) Vid. Paul. Manut. de Civit. Rom., pag. 53.

(3) Vid. Græv. in præfat. ad Thes. Ant. Rom.

(4) Vid. Duker. ad Livium l. c.

(5) Vid. Dion. Hal. lib. V. cap. 73.

(6) Vid. Boindini dissert. de Tribubus Rom. inserta Memoriis inscriptionum et elegantiorum litterarum Parisiis. Tom. IV. p. 67.

(7) Vid. Livius lib. III. cap. 3. et Epitom. lib. LIX. Plut. in vita Camilli cap. 2. Conf. Paul. Manutius de Civit. Rom. pag. 31. litt. D.

veniebant (1), veluti mercatores, pecuarii, aliique hujus generis: interdum tamen permisisse videntur censores, ut quis opera amici e. c. censeretur (2): et hinc fiebat, ut, si exercitus Romanorum abesset in provinciis, a censoribus certi homines mitterentur, qui ibi etiam censum agerent (3). *Censores* vero edicta proponere solebant, ut unusquisque civis scire posset, quo tempore census ageretur: quibus edictis indicasse videntur, utrum essent permissuri absentem censeri, an vero necesse foret omnibus, qui censum profiterentur, Romam venire (4). — Non modo autem census civium Romanorum, sed etiam provincialium et municipalium agebatur. Dissensio autem est inter viros doctos, utrum municipalibus necesse fuerit Romam proficisci nomina in censum deferendi causa. Manutius testatur se testimonio Ciceronis et Asconii Pediani adduci, ut omnino Romæ censos esse existimet. Scribit enim Cicero, » Non committam, ut tum res judicetur, cum hæc frequentia totius » Italiæ Roma discesserit; quæ convenit uno tempore undique, comi- » tiorum, ludorum, censendique causa" (5). Ad quem locum Asconius Pedianus sic » frequentiam dicit plebis rusticæ, cui voluit judicii exitu » notam esse integritatem suam. Convenerat autem e municipiis cujus- » cunque modi multitudo, aut propter comitia suffragiorum causa, aut » ludorum votivorum Romanorum, Victoriæ, plebejorum, aut ut censeren- » tur apud censores Gellium et Lentulum, qui tunc erant" (6). Sigonius vero existimat, censores item in municipiis creatos fuisse, et hoc probat ex tabulis municipiorum censoriis, quas Cicero memorat, cum dicit » Illum » tabulas publicas Larini censorias corrupisse, decuriones universi judi- » caverunt" (7). Addit tamen deinde Sigonius, municipes ita censos esse in municipio, ut possent etiam Romæ censeri, si hoc eis commodum

---

(1) Vid. Vell. Paterc. lib. II. cap. 15., Sigon. de antiq. jure civ. Rom. lib. II. cap. 10. et de jure Provinc. lib. I. cap. 2., Manutius ad Ciceronis epist. ad Atticum lib. I. epist. 18.

(2) Vid. Varro de ling. lat. lib. V. pag. 62. et Aul. Gell. lib. V. cap. 19. in fine.

(3) Vid. Livius lib. XXIX. cap. 37. ibique Duker.

(4) Vid. Cicero epist. ad Atticum lib. I. epist. 18. et Aul. Gell. l. c.

(5) Vid. Cic. in Verrem Act. I. cap. 18. et J. Menardi comment. ad h. l.

(6) Vid. Ascon. Pedian. ad Cic. l. c. pag. 63.

(7) Vid. Cic. orat. pro A. Cluent. cap. 14. ibique Græv.

esset (1). In censura autem Gellii et Lentuli omnes in civitates suas redire debebant; edicebant enim censores, » ne quis Romæ, sed omnes in » suis civitatibus censerentur" (2); ex quibus verbis orta est Pighii opinio, qui putat, cum imperii Romani fines ita propagati essent, et jus civitatis Romanæ per provincias esset communicatum, deinceps institutum esse, ut Socii Latini nominis per Italiam et provincias in civitatibus suis censerentur (3). Sic tota Sicilia censeri solebat, atque annua Siculorum tributa constitui (4), quæ Siciliæ vectigalia in tabulis censoriis continebantur: quare ex Italia in Siciliam transiisse scimus Rullum, nimirum ut in continentibus provinciis etiam census ageretur (5). Tali quoque ratione orbis terrarum ab Augusto plus semel descriptus et censitus est. Tradit enim Dio Cassius, L. Munatio et C. Silio consulibus, (qui consules fuere anno urbis DCCLXVI) Augustum *πέμψαι ἄλλους ἄλλῃ, τά τε τῶν ἰδιωτῶν, καί τὰ τῶν πόλεων κτήματα ἀπογραψομένος* (6). Apud Suidam autem legimus: » 'Ο *δὲ Καῖσαρ Αὔγουςος ὁ μοναρχήσας,* » *εἴκοσιν ἄνδρας τοὺς ἀρίστους τὸν βίον καὶ τὸν τρόπον ἐπιλεξάμενος, ἐπὶ* » *πᾶσαν τὴν γῆν τῶν ὑπηκόων ἐξέπεμψε· δι' ὧν ἀπογραφὰς ἐποιήσατο τῶν τε* » *ἀνθρώπων, καὶ τῶν οὐσίων, αὐτάρκη τινὰ προστάξας τῷ δημοσίῳ μοῖραν* » *ἐκ τούτων εἰσφέρεσθαι*" (7): ex quibus verbis patet, aliquando Româ missos esse homines in provincias, ut ibi censum agerent. Atque hac ratione facillime totius imperii Romani vires cognosci poterant.

Census item in coloniis actus est, et quidem eadem ratione, qua Romæ agebatur. Livius enim scribit, » censumque in iis coloniis agi ex » formula ab Romanis censoribus data; dari autem placere eandem, quam » populo Romano: deferrique Romam ab juratis censoribus coloniarum, » priusquam magistratu abirent" (8). Sic quoque C. Claudius Nero, et

(1) Vid. Sigon. de ant. jure civ. Rom. lib. II. cap. 8.
(2) Vid. Livius lib. XLII. cap. 10.
(3) Vid. Pigh. l. l. tom. I. pag. 166 in fine.
(4) Vid. Cic. in Verrem act. II. lib. II. cap. 53.
(5) Vid. Cic. de lege Agrar. contra Rullum, cap. 2. ibique Turneb.
(6) Vid. Dio Cass. lib. LVI. pag. 588. Edit. J. Leunclavii. Hanoviæ MDCVI.
(7) Vid. Suidas in voce *ἀπογραφή*.
(8) Vid. Livius lib. XXIX. cap. 15.

M. Livius censores coloniarum receperunt censum, quem ad eos deferebant coloniarum censores, ut omnino scirent, quot milites quantaque esset pecunia (1). Manutius tamen existimat, proprie non censeri colonos, quandoquidem non cives Romani erant. Cives autem eos non fuisse putat, quod nullus e veteribus testetur, unum alterumve e coloniis venisse Romam suffragii ferendi causa: quum tamen constet colonias esse censas bello Punico secundo, illud factum existimat, non quia cives Romani coloni haberentur, sed ut post censum possent intelligere Romani, quibus auxiliis in bello uti possent (2). Et quidem non solum cives omnes censeri solebant, verum etiam multa apud veteres exempla inveniuntur, eos, qui, quum non cives essent, nomina sua clam in censorias tabulas referenda curàssent, civitatem adeptos esse. Sic Cicero, » Alter vero, » non ille Serranus ab aratro, sed ex deserto Gavii Oleli horreo calatis » granis, in Calatinos Atilios insitus, subito nominibus in tabulas relatis, » nomen suum de tabula sustulit" (3). Et in eo ratio est posita, cur Gracchus Archiam Poetam civem esse negaverit (4). Præsertim peregrini sæpe clam et per fraudem nomina apud censores profitendo jus civitatis Romanæ adipisci conabantur, quod vocabatur *civitatem furari* et *in censum irrepere*. » Non enim furatus, ait Cicero, esse civitatem, non » genus ementitus, non in aliquo impudenti mendacio deliquisse, non » irrepsisse in censum dicitur" (5). Hoc tamen deinde legibus fuit prohibitum, iique, qui se contra jus pro civibus gerebant, in suæ quisque civitatis jus redacti fuere (6).

Sunt, qui existiment, tunc demum censos fuisse cives Romanos, cum pervenissent ad ætatem armis ferendis idoneam, hoc est, ad annum XVII.

(1) Vid. Livius lib. XXIX. cap. 37. Conf. Plin. epist. lib. X. epist. 83 et epist. 113.; et Sigonius de ant. jure Rom. lib. II. cap. 4.

(2) Vid. Manut. l. l. pag. 52. litt. D. et Ezechiel Spanhem. de præstantia et usu numismatum dissert. VIII. pag. 742.

(3) Vid. Cic. Orat. pro Publ. Sextio cap. 33.; et Nicol. Abram. Comment. in hanc Ciceronis orationem, pars I. pag. 168. edit. Lutetiæ-Paris., anno MDCXXXI.

(4) Vid. Cic. pro Archia Poët. cap. 5.

(5) Vid. Cic. pro Balbo cap. 2., ibique Græv.

(6) Vid. Ascon. Pedian. comment. in orat. Cic. pro C. Cornelio, pag. 131.; Livius lib. XLI. cap. 8 in fine; et lib. XLII. cap. 10.

Contrarium vero Dionysius Hal. docere videtur, quare ejus verba hic referemus: *ταῦτα καταστησάμενος ἐκέλευσεν ἅπαντας Ῥωμαίους ἀπογράφεσθαί τε καὶ τιμᾶσθαι τὰς ὀυσίας πρὸς ἀργύριον, ὀμόσαντας τὸν νόμιμον ὅρκον, ἦ μὴν τἀληθῆ καὶ ἀπὸ παντὸς τοῦ βελτίστου τετιμῆσθαι, πατέρων τὲ ὧν ἐισι γράφοντας, καὶ ἡλικίαν ἥν ἔχουσι δηλοῦντας, γυναῖκάς τε καὶ παῖδας ὀνομάζοντας, καὶ ἐν τίνι κατοικοῦσιν ἕκαστοι τῆς πόλεως τόπῳ, ἤ πάγῳ τῆς Χώρας προστιθέντας* (1). Ex quibus verbis patet, non solum cujusque civis rem esse æstimatam, verum etiam omnium ætates, uxores atque liberos Sed hoc loco non prætermittenda Sigonii sententia, qui existimat, omnes quidem in censu nomen suum professos esse, sed censores in summa civium subducenda eos tantum numerasse, qui arma ferre poterant; idque probat ex Livii verbis: »Censa LXXX millia civium » dicuntur: adjicit scriptorum antiquissimus Fabius Pictor, eorum qui » ferre arma possent, eum numerum fuisse." (2). Præterea contendit, Dionysium Halic. eos indicare, qui arma ferre poterant, cum puberum (*ἐν ἥβῃ*) capita censa esse scribat (3). Alio autem loco Dionysius aperte ex hoc numero pueros, et feminas omnes, et servos, et mercatores opificesque excludit. »*Τῶν μὲν γὰρ*, ait, *ἐν ἥβῃ πολιτῶν ὑπὲρ τὰς ἕνδεκα » μυριάδας ἦσαν, ὡς ἐκ τῆς ἔγγιστα τιμήσεως εὑρέθη· γυναικῶν δε καὶ » παίδων, καὶ τῆς οἰκετικῆς θεραπείας, ἐμπόρων τε καὶ τῶν ἐργαζομένων » τὰς βαναύσους τέχνας μετοίκων· ὀυδενὶ γὰρ ἐξῆν Ῥωμαίων οὔτε κάπη- » λον, οὔτε χειροτέχνην βίον ἔχειν· οὐκ ἔλαττον, ἤ τριπλάσιοι τοῦ πο- » λιτικοῦ πλήθους* (4). Libertinos etiam una cum ingenuis esse censos, docet idem Dionysius. Communicasse enim tradit Servium Tullium etiam cum servis manumissis, nisi in patriam redire mallent, jus civium, cumque rex jussisset eos cum ingenuis bona in censum referre, in quatuor urbanas tribus distribuisse, in quas et suo tempore morem fuisse referri, quidquid erat libertini generis, eosque omnium munium, quorum et cæteros plebejos, fecisse participes (5). Sed aliquando etiam censu excludebantur

(1) Vid. Dionys. Hal. lib. IV. cap. 15.
(2) Vid. Livius lib. I. cap. 44.
(3) Vid. Dionys. Hal. lib. VI. cap. 63. Conf. Sigon. de Ant. jure civ. Rom. lib. I. cap. 14.
(4) Vid. Dionys. Hal. lib. IX. cap. 25.
(5) Vid. Dionys. Hal. lib. IV. cap. 22.

libertini, nimirum si prædia rustica pluris HSXXX millium non haberent. Differebant autem ab ingenuis libertini, quod in senatum non legebantur, magistratus non gerebant, neque ordinem ullum obtinebant. Sed præterea, si ingenui rura possidebant, in rustica tribu censebantur, alioqui in urbana. Verum libertini, etsi agros possiderent, tamen in urbana tribu censebantur. Sed hac de re ipsa verba Livii referre operæ pretium est, non solum quod hic auctor tradit, omnes libertinos non esse censos, eosque, qui censebantur, non omnes in urbanis tribubus, sed hos, qui filium quinquenni majorem haberent, in rusticis; verum etiam Tib. Sempronium Gracchum id tantum consecutum esse, ut, qui libertini antea partim in quatuor urbanis tribubus, partim etiam in rusticis ferendi suffragii jus haberent, omnes in unam urbanam conjicerentur. » In quatuor urbanas tribus descripti erant libertini, præter eos, quibus » filius quinquenni major ex Senatusconsulto esset. Eos ubi proximo » lustro censi essent, censeri jusserunt; et eos, qui prædium prædiave » rustica pluris sestertiûm triginta millium haberent, censendi jus fac- » tum est. Hoc quum ita servatum esset, negabat Claudius, suffragii » lationem injussu populi censorem cuiquam homini, nedum ordini uni- » verso, adimere posse. Neque enim, si tribu movere posset, quod sit » nihil aliud, quam mutare jubere tribum, ideo omnibus quinque et » triginta tribubus emovere posse: id est, civitatem libertatemque eri- » pere; non, ubi censeatur, finire, sed censu excludere. Hæc inter ipsos » disceptata; postremo eo descensum est, ut ex quatuor urbanis tribubus » unam palam in atrio Libertatis sortirentur, in quam, qui servitu- » tem servissent, conjicerent. Esquilinæ sors exiit: in ea Tib. Gracchus » pronunciavit, libertinos omnes censeri placere" (1). Unde patet, libertinos in quatuor tribus urbanas descriptos esse, exceptis iis, qui filium quinquenni majorem haberent; et hinc Manutius (2) atque Gruchius (3) conjiciunt, hos in tribubus rusticis censos: eorumque conjectura non spernenda videtur, cum Diodorus (4) et Plutarchus (5)

(1) Vid. Livius lib. XLV. cap. 15.
(2) Vid. Manut. de civit. Rom. pag. 19.
(3) Vid. Gruch. de comit. Rom. lib. II. cap. 4. pag. 682. tom. I. Thes. ant. Rom. Græv.
(4) Vid. Diod. Sicul. lib. XX. pag. 751.
(5) Vid. Plut. in vita Publicolæ, pag. 397. tom. I. edit. Reiskii.

testentur, Appium Claudium censorem libertinos ex quatuor urbanis in alias dispersisse, eaque confirmatur judicio Dukeri, qui hoc latere existimat in verbis Livii »ubi proximo lustro censi essent" »id est, inquit Dukerus, »in aliqua e tribubus rusticis, nam præter urbanas et » rusticas aliæ non erant." Quod vero attinet ad libertinos, qui prædia rustica pluris sestertium triginta millium haberent, quando his censendi jus factum sit, incertum est. Perizonii (1) enim hoc institutum esse scribentis, Claudio et Tib. Sempronio Graccho censoribus, sententiam minus probabilem esse ostendit Dukerus (2). Sed et hoc quoque addendum est, a Livio, qui scribit »in ea (Esquilina) Tib. Gracchus pronunciavit » libertinos omnes censeri placere", dissentire videri Ciceronem, ubi ait: » Atque is non accurata quadam orationis copia, sed nutu atque verbo » libertinos in urbanas tribus transtulit" (3). Adeo ut Livius dicat, libertinos, cum antea in quatuor urbanas tribus essent descripti, in unam Esquilinam a Graccho censore esse conjectos: Cicero contra ostendere videatur, eos non in unam urbanam, sed in quatuor translatos esse. Verum Manutius primus fuit, qui ostendit, verba Ciceronis minime repugnare sententiæ Dionysii (4) et Livii (5): nimirum libertinos jam inde a Servio Tullio in quatuor urbanas tribus esse descriptos; sed Ciceronem hoc loco spectasse illud Tib. Gracchi institutum, ut nemo e libertinis in posterum suffragium ferret in rustica tribu; Livium vero narrare alterum Tiberii institutum, ut omnes in una urbana tribu, non in quatuor, ut antea, censerentur et suffragium ferrent (6).

Hæc vero censûs professio adeo civium Romanorum propria erat, ut servus, si, permittente domino, censum apud censores professus esset, ex ea re jus civitatis acciperet, quæ erat manumissio per censum. Non tamen censor unumquemque servum sine discrimine in censum admit-

---

(1) Vid. Jac. Perizonii dissert. de Lege Voconia, pag. 192. Edit. Lugd.-Bat., anno MDCCXL.
(2) Vid. Duker. ad Livium l. c.
(3) Vid. Cic. de orat. lib. I. cap. 9.
(4) Vid. Dionys. Hal. l. c.
(5) Vid. Livius lib. IX. cap. 46. ibique Duker., et Epitom. lib. XX. Val. Maxim. lib. II. cap. 2. exempl. 9.
(6) Vid. Manut. l. c. pag. 19. et Pigh. l. c., tom. II. pag. 374.

tebat. Nam si servus umquam in tormentis fuisset, libertatem adipisci non poterat. Sunt, qui putent hanc libertatem non statim obtinuisse servos, sed demum post lustrum conditum. Quæ opinio orta videtur e verbis Ciceronis, » quid? de libertate, quo judicium gravius esse nullum » potest, nonne ex jure civili potest esse contentio, cum quæritur, is, » qui domini voluntate census sit, continuone, an ubi lustrum conditum, » liber sit" (1). Huic tamen opinioni mihi obstare videtur, quod aliquando census quidem agebatur, sed lustrum non condebatur, quod sæpius in republica Romana obtinuit, si nempe proximo quinquennio insignis calamitas accidisset.

Sed jam videamus de rebus, quas in censum deferebant cives. Res, quas quisque civis in censum deferre debebat, variæ fuere. Nimirum omne suum patrimonium certa pecuniæ summa æstimatum, præterea nomen parentum, ætatem suam, utrum uxorem duxisset nec ne, an ex ea liberos procreasset, et quot, ut et liberorum nomina, insuper locum urbis et pagum regionis, in quo quisque habitaret, servos et animalia, ut boves, equos similiaque (2). Ad professionem facultatum pertinet e. g., ut agrum, si quis eum possideret, quam accurate descriptum in censum referret. Si quis servum in censum deferret, addere debebat ejus nationem, ætatem et artificium vel officium: et hac ratione singuli patresfamilias singula prædia et urbana et rustica, pecuniæ summam, servorum pecudumque numerum, et fundorum instrumenta profitebantur. Sed non omnia bona in censum deferebantur, sed quæ erant mancipi. Bona autem mancipi erant, quæ quisque possidebat jure Romano, et quæ acquiri poterant mancipatione, traditione, usucapione, et jurecessione, quæ proprie dicebantur *censuicensendo* (3). Illa vero pro-

(1) Vid. Cic. de Orat. lib. I. cap. 40.

(2) Vid. Dionys. Hal. lib. IV. cap. 15; et lib. V. cap. 75., Cic. de legib. lib. III. cap. 3., Livius lib. XXXIX. cap. 44., Cic. pro Flacco cap. 32. Conf. præsertim Marcelli Donati in Livium dilucid. pag. 35 et seq. Tom. VI. Lamp. artium liberalium Gruteri; et J. Vincentii Gravinæ Dissert. de censura, pag. 259 et seqq. Hæc dissertatio accessit Gravinæ Institutionibus Juris Civilis Romæ anno MDCCXLIV.

(3) Vid. Livius lib. XLIII. cap. 14. ibique loci citati a Drakenb., Cicer. pro Flacco, cap. 32. ibique Græv. Festus in voce *censuicensendo* ibique Scalig. Conf. Brisson. de formulis lib. IV. pag. 339.

fessio fiebat præstito jurejurando, cujus solemnis formula erat *ex animi tui sententiâ* (1). Et sane summa erat hæc potestas censorum, ut populum Romanum, ideoque omnes et singulos cives, jurejurando adigere possent: quæ nulli alii magistratui potestas erat: unde censores per excellentiam vocantur *juratores* (2). Et hinc exponendum docent viri docti nummum L. Vitellii censoris, qui nummus exhibet ipsum Vitellium censorem sella curuli sedentem, adstante cive Romano, qui manus dextræ digitis prioribus in altum sublatis jurat (3); quæ nummi expositio videtur probabilior, quam illa Gundlingii (4), qui putat hoc nummo exhiberi publicanum, qui a Vitellio censore vectigalia conduceret. Quicumque enim aliquid emebat vel conducebat, manu vel digito se emere vel conducere indicabat (5). Hæc autem omnia, quæ quisque civis professus erat, annotabantur in tabulis publicis, quæ censoriæ deinceps appellatæ sunt. In his non hominum solummodo, verum etiam privatarum ædium ac possessionum conditiones, partes, et descriptiones exactissime continebantur, et propterea magnâ curâ servabantur; Ciceronis certe tempore in æde Nympharum (6), antea vero etiam in æde Libertatis, uti confici potest ex Livii verbis »Censores extemplo in atrium » Libertatis adscenderunt, et ibi signatis tabellis publicis, clausoque ta- » bulario et dimissis servis, negarunt, se prius quidquam publici negotii » gesturos, quam judicium populi de se factum esset" (7). Hinc varia harum tabularum mentio occurrit, et sæpe ad aliquid probandum

(1) Vid. Cic. de Orat. lib. II. cap. 64. et Acad. lib. II. cap. 48., ibique Davis. et de Off. lib. III. cap. 29. Aul. Gell. lib. IV. cap. 20. ibique Gronov.

(2) Unde apud Plautum Trinummi, act. IV. scen. II. vers. 30.

» Heus senex,
» Census cum juratori recte rationem dedi,
» Lesbonicum hic adolescentem quæro."

Quem locum sic interpretatus est Joh. Fred. Gronovius Observationum Libri Novi, lib. IV. cap. 3. pag. 43 et seqq. Daventriæ anno CIϽIϽCLII.

(3) Vid. Spanh. lib. laud. Dissert. VIII. pag. 737.

(4) Vid. Gundling. Tom. XVI. pag. 45.

(5) Vid. Festus in voce *mancipes*. et Cic. in Verrem, lib. I. cap. 54. ibique interp.

(6) Vid Cic. pro Milone, cap. 27.

(7) Vid. Livius lib. XLIII. cap. 16. ibique Turneb., et Casaub. ad Suet. Aug., cap. 29.

laudantur apud Ciceronem (1). Ab his tabulis censoriis, quæ Græce γράμματα τιμητικὰ dicuntur, diversi fuere Commentarii censorum, Græcis ὑπομνήματα τιμητικὰ dicti. Hi enim commentarii privata auctoritate conscribebantur in memoriam rerum a se in magistratu gestarum, privatim etiam a posteris censorum servabantur (2).

Qui censum profiteri neglexerat, uti servus vendebatur, omnibus ejus bonis publicatis, seu in ærarium redactis (3). Et ratio, quare hæc pœna adeo gravis esset, fuit, quod civis, qui censum profiteri neglexerat, recusare videbatur pro viribus suis onera reipublicæ cum reliquis civibus ferre. Pro ratione enim censûs, quem quisque professus erat, tributa, unde onera reipublicæ sustentabantur, solvi solebant. Nullus quoque in legione Romana militabat, nisi qui inter cives census esset (4). Hæc tamen lex, ut, qui census non esset, bonis publicatis in servitutem venderetur, non semper Romæ obtinuisse videtur. Certe Dionysius (5) narrat, eam legem *diu* apud Romanos *durasse:* dicendo autem *diu durasse* illam, indicare videtur, eam jam suo tempore abrogatam fuisse; quæ est Perizonii (6) sententia, qui probat nulla amplius necessitate Romanos ad censendum coactos fuisse, et sæpe etiam censum omnino neglexisse. Hoc autem maxime obtinuit, cum, imperio Romano aucto et plurimum prolato, pleraque tributa conferrentur a provinciis, et potestas militandi facta esset capite censis, aliique, quam cives, provinciales nempe et exteri, milites scriberentur. Cicero, quamquam existimatur hic mos ejus ætate abolevisse, hujus legis mentionem facit, cum scribit: »jam populus » cum eum vendidit, qui miles factus non est, non adimit ei liberta- » tem, sed judicat, non esse eum liberum, qui, ut liber sit, adire pe- » riculum noluit; cum autem in censum vendit, hoc judicat; cum is,

---

(1) Vid. Cic. de harusp. resp. cap. 14., Orat. de lege Agrar. I. cap. 1., pro Archia Poet. cap. 4. ibique Græv. et passim.

(2) Vid. Dionys. Hal. lib. I. cap. 74 in fine.

(3) Vid. Dionys. Hal. lib. IV. cap. 15. et lib. V. cap. 75.

(4) Vid. Dionys. Hal. lib. IX. cap. 63.

(5) Vid. Dionys. Hal. lib. IV. cap. 15.

(6) Vid. Jac. Perizonius Diss. de Lege Voconia, pag. 211.

» qui in servitute justa fuerit, censu liberetur, eum, qui, cum liber esset, » censeri noluerit, ipsum sibi libertatem abjudicasse" (1).

Secundum opes et facultates, quæ censu æstimabantur, cives distributi erant in sex classes, quarum unaquæque in centurias divisa erat. De qua distributione nunc agemus. Constat Servium Tullium populum in classes distribuisse, quæ ab aliis sex numerantur, ab aliis quinque tantum. A Dionysio (2) enim, qui sex classes numerat, dissentiunt Livius (3) et Tubero apud Gellium (4), qui posterior nullam classis ultimæ habuit rationem. Hos conciliavit Meursius. Cumque Dionysius, post descriptam quintam classem, idem de sexta narrat, quod Livius refert de ultima centuria, cumque fere omnes Antiquitatum Romanarum scriptores sex classes recensent, *classis* nomen quoque ultimæ centuriæ tribuemus.

Difficile est, quantus ille census fuerit ad nummos æstimatus, definire, cum ipsi veteres scriptores hac in causa adeo dissentiant. Livius (5) enim classi primæ CM æris, Plinius (6) CXM assium tribuit, Festus (7) » infra » classem, inquit, significantur, qui minore summa, quam CXXM æris » censi sunt"; Gellius denuo quinque alias libras addit (8), ita ut censum illum ad CXXV millia æris extendat. Utrum illi scriptores de diversis temporibus loquantur, aut alius rotundum, alius definitum numerum exprimat, an vero numeri in nonnullis corrupti sint, hìc non dijudicabimns, sed cum præcipuis Romanarum Antiquitatum scriptoribus, Lipsio nimirum, Manutio, Onuphrio, Pighio aliisque Livium sequemur, qui magnitudinem primi censùs per singulas classes exponit, ut jam antea vidimus. De considerando autem illius censûs pretio, magna rursus est virorum doctorum dissensio. Optimum tamen duxi cum plerisque

---

(1) Vid. Cic. pro Cæcina. cap. 34. De incensis conf. Sigon. de Ant. Jur. civ. Rom. lib. I. cap. 14.

(2) Vid. Dionys. Hal. lib. IV. cap. 16.

(3) Vid. Livius lib. I. cap. 44.

(4) Vid. Aul. Gell. lib. X. cap. 28. Cicero quoque quinque classes numerat, de Republica lib. II. cap. 22. ibique Majus.

(5) Vid. Livius lib. I. cap. 43.

(6) Vid. Plin. Hist. Nat. lib. XXXIII. cap. 3.

(7) Vid. Fest. in voce *infra classem*.

(8) Vid. Aul. Gell. lib. VII. cap. 3.

sequi Guilielmum Budæum (1), eumque secutos Matthæum Hostum (2) ac Janum Gruterum (3).

Prima classis omnium ditissimos continebat cives, quorum census erat centum millia æris. Hanc classem constituebant quadraginta centuriæ seniorum et totidem juniorum. His additæ sunt octodecim Equitum et duæ fabrorum centuriæ; ita ut hæc classis centum centurias contineret. Quæ duæ fabrorum huic classi adjiciuntur a Livio (4), cum Dionysius eas centurias secundæ classi adscribit (5). Seniores autem erant post annum ætatis quadragesimum quintum, et juniores ab anno ætatis decimo septimo ad annum quadragesimum quintum. Omnes denique, qui in hac classe censerentur, vel qui primæ classis censum apud censores profiterentur, hi per excellentiam censi dicebantur (6). Arma hujus classis erant ex ære confecta, galea, clypeus, ocreæ, lorica: tela erant, hasta et gladius.

Secundæ classis census erat quinquaginta millia æris. Centuriæ erant viginti, decem seniorum, juniorum decem: arma erant, galea, scutum, ocreæ: tela, hasta, gladius (7).

Tertiæ classis census erat quinquaginta millia æris. Hanc classem viginti quoque centuriæ constituebant; decem juniorum, et totidem seniorum. Arma erant, scutum et galea: tela, hasta et gladius (8).

Quartæ classis census erat quinque et viginti millium æris. Centuriæ itidem viginti fuere. Huic classi adjecit Dionysius duas centurias tubicinum, et cornicum; arma erant scutum: tela, gladius et verutum (9).

Quinta classe comprehendebantur ii, quorum census erat undecim millium æris. Fuerunt triginta centuriæ; quindecim seniorum, totidem-

(1) Vid. Guil. Budæus sub initium lib. V. de *asse*.

(2) Vid. Matth. Host. in hist. rei nummariæ veteris. lib. II. cap. 2. § 36. pag. 193. edit. Francof. anno MDLXXX.

(3) Vid. Gruter ad Livium. l. c.

(4) Vid. Livius lib. I. cap. 43. et præsertim Lipsius in tractatu de censura et censu, pag. 612.

(5) Vid. Dionys. lib. IV. cap. 17.

(6) Hoc multis probat Perizonius Diss. de Lege Voconia, pag. 191.

(7) Vid. Livius. l. c.

(8) Vid. Livius. l. c. et Dionys. Hal. l. c.

(9) Vid. Livius l. c. et Dionys. Hal. l. c.

que juniorum: arma erant nulla, unde velati dicti sunt (1); tela fuerunt, funda et lapides, uti Livius narrat, sed secundum Dionysium verutum et funda (2).

Sexta classis continebat omnes, quorum census minor undecim millia erat, adeoque majorem hæc classis multitudinem civium continebat. In hac erant *Proletarii* et *Capite censi*, tenuioris fortunæ homines. Non eosdem fuisse Proletarios et Capite censos docet Gellius ex Julii Paulli sententia: »nam qui in plebe, inquit, Romana tenuissimi, pauperrimi- » que erant, neque amplius quam mille quingentum æris in censum » deferebant, Proletarii appellati sunt; qui vero nullo, aut perquam parvo » ære censebantur, Capite censi vocabantur; extremus autem census Ca- » pite censorum æris fuit CCCLXXV" (3). Ad quem locum scripsit Oiselius, Salmasium existimare, Proletarios et Capite censos unos eosdemque esse, neque hoc discrimine, ut Paullus hic refert, separatos, quasi hi pauperiores essent, illi minus. Gronovius tamen addit, certe eos rebus discretos fuisse, cum vocabulis differrent. Proletarii enim dicebantur, quod quasi proli tantum procreandæ vacarent: et hoc loco operæ pretium est Ciceronis verba afferre: » In quo etiam verbis ac nominibus » ipsis fuit diligens, qui cum locupletes assiduos appellasset ab ære » dando; eos, qui aut non plus mille quingentum æris, aut omnino nihil » in suum censum præter caput attulissent, Proletarios nominavit; ut » ex iis, quasi proles, id est, quasi progenies civitatis exspectari vide- » retur" (4). Capite censi vero appellabantur, quoniam apud ipsos non pecuniæ, sed solummodo capitis ratio habita fuit (5). Civium numerum solum augebant, et immunes erant a militiæ et tributi oneribus. Vacatio a militia autem iis dabatur, quia bellicos sumtus facere nequirent. Constat enim initio urbis milites suis sumtibus militasse. Nam ab anno CCCL post R. C. milites demum stipendium de publico acceperunt (6). Deinde

---

(1) Vid. Festus in voce *velati*.
(2) Vid. Livius l. c. et Dionys. Hal. l. c.
(3) Vid. Aul. Gell. lib. XVI. cap. 10. ibique interpr.
(4) Vid. Cic. de Republica lib. II. cap. 22. ibique Majus.
(5) Vid. Joh. Ger. Vossius Etym. Ling. Lat. in voce.
(6) Vid. Livius lib. IV. cap. 33.

tamen Proletarii militare cœperunt, ut bello Tarentino, cum iis arma publice darentur (1). Capite censos autem primus armavit bello Jugurthino C. Marius (2).

Harum autem classium institutio magnæ fuit prudentiæ et magni usûs in Republica Romana. Quod ad tributa enim attinet, hac ratione tributorum militiæque onera a pauperibus in divites referebantur. Nam cum omnes hæ classes centum nonaginta tres centurias constituerent, et ex iis prima classis centum centuriis constaret, patet, si tributum imperatum esset et æqualiter per centurias divisum, primam classem solam plus tributi contulisse, quam reliquas omnes. Cum itaque tributorum onera maxime inclinarent in ditissimos, in ferendis suffragiis quoque omnem fere potestatem habebant. Non enim, ut antea sub Romulo aliisque regibus, populus viritim per curias vocatus eodem jure suffragia dabat, sed per centurias, nimirum in comitiis centuriatis, in quibus singularum centuriarum singula suffragia valebant: cumque prima classis omnes reliquas centuriarum numero vinceret, judicia sæpe primæ classis suffragiis absolvebantur, cum reliquæ contra illius consensum nihil valerent (3). In ditissimorum igitur per censum potestate erat magistratus majores, tam extraordinarios, quam ordinarios creare, leges proprie dictas ferre, atque judicia capitalia. Unde eleganter Cicero, » eosque ita » disparavit, ut suffragia non in multitudinis, sed in locupletium po- » testate essent, curavitque, quod semper in republica tenendum est, » ne plurimum valeant plurimi" (4). Cum itaque manifestum esset, contra primæ classis centum centurias reliquarum classium centurias nonaginta tres fere nihil posse, C. Gracchus legem promulgavit, ut ex quinque classibus confusis sorte centuriæ vocarentur. Denique licet hoc Servii Tullii instituto omnem Reipublicæ Romanæ administrationem ditiores haberent, illud tamen non ægre ferebant pauperiores, cum

(1) Vid. Oros. lib. IV. cap. 1. et August. de civit. Dei III. 17.

(2) Vid. Val. Max. lib. II. cap. 3. Sallust. Belli Jugurt. cap. 86. Aul. Gell. l. c. De Proletariis et capite censis conf. præsertim Pigh. lib. c. tom. 1. pag. 46. Onuph. Panv. de Civ. Rom. pag. 296. et August. de Leg. pag. 1285. Tom. II. Thes. A. R. Græv.

(3) Vid. Dionys. Hal. lib. IV. cap. 21. et lib. VII. cap. 59. Liv. lib. I. cap. 43.

(4) Vid. Cic. de Republica. lib. II. cap. 22. ibique Majus.

totum onus militiæ, tributique illis impositum esset, et præterea existimabant, se pari jure esse, et æque administrare Rempublicam, ac ditiores, quod viritim quoque in suis centuriis sententias rogarentur (1).

Diximus primæ classi additas octodecim Equitum centurias. Nimirum Servius Tullius sex centurias e tribus a Romulo institutis constituit, sed sub iisdem nominibus, ita ut prima centuria dicta sit Tatienses primi; secunda, Tatienses secundi; tertia, Ramnenses primi; quarta, Ramnenses secundi; quinta, Luceres primi; sexta, Luceres secundi (2) His autem sex centuriis duodecim alias adjunxit, ita ut essent octodecim. Illas vero cum conscripsisset ex iis civibus, quorum census maximus erat, iis dena millia æris ad equos emendos ex publico dedit, et viduas attribuit, quæ in annos singulos bina millia æris penderent, quibus equos alerent (3). Ex his quoque in senatum legebantur, quando hic ordo supplendus erat; ait enim Livius, »Deinde quo plus virium in senatu frequentia etiam » ordinis faceret, cædibus regis diminutum patrum numerum, primo» ribus Equestris gradus lectis, ad trecentorum summam explevit" (4). Ex quibus verbis colligendum est, Senatores Equitesque in prima classe censeri consuevisse. Et sic sponte quasi ad censum Senatorium et Equestrem venimus.

In senatoribus legendis etiam censûs ratio habebatur, qui quidem antiquissimis temporibus minime spectatus fuisse videtur (5). Sed deinde fuit octingenta millia sestertium. Nam Servii Tullii modus non pro perpetuo accipiendus est, cum constat, divitiis in Republica auctis, censum etiam auctum esse, ut e sequentibus dilucide apparebit. Hunc censum deinde Augustum ampliasse, et pro octingentorum millium summâ duodecies HS taxasse, scribit Suetonius (6), licet Dio Cassius 1000 HS eum posuit (7); quem Suetonii et Dionis hac in re dissensum Perizonius

(1) Vid. Dionys. Hal. lib. IV. cap. 21. et lib. VII. cap. 59. conf. Lips. *de censura et censu.* pag. 614. E Recentioribus præsertim elegantissime hanc rem exposuit Pet. Ch. Lavesque Hist. crit. de la Républ. Rom. Tom. I. pag. 95. et seqq.

(2) Vid. Livius lib. I. cap. 43. Conf. Pigh. Tom. I. pag. 47.

(3) Vid Livius l. l.

(4) Vid. Livius lib. II. c. l.

(5) Vid. Plin. Hist. Nat. Præf. lib. XIV.

(6) Vid. Suet. in vita Augusti cap. 41. Ibique Græv.

(7) Vid. Dio Cassius lib. LIV. pag. 537. edit. Joh. Leunclavii.

omnino sustulisse mihi videtur. Nempe ostendit, Senatorium censum octingentorum millium fuisse ante Augustum, atque Augustum eum quidem primo redegisse ad quadringenta millia (quod ex Dione probat, qui hoc factum scribit, quoniam multi bellis intestinis paternas facultates amiserant (1)) postea vero ad decies centena millia perduxisse, postremo etiam ad duodecies. Existimat igitur, Suetonium illum censum posuisse, quem Augustus invenerat ad Rempublicam accedens, Dionem Cassium contra memorasse eum, prout ab ipso Augusto constitutus statim post bellum civile, et dein prima vice ampliatus fuerit. Quod ad duodecies sestertium attinet, eâ tandem summâ constitutum fuisse ab Augusto censum Senatorium, putat colligendum esse ex alio loco Dionis, ubi ait: *ἐπειδή τε συχνοὶ τῶν νεανίσκων ἔκ τε τοῦ βουλευτικοῦ γένους κἀκ τῶν ἄλλων ἵππεων ἐπένοντο, μηδὲν ἐπαίτιον ἔχοντες, τοῖς μὲν πλείοσι τὸ τεταγμένον τίμημα ἀνεπλήρωσεν, ὀγδοήκοντα δέ τισι καὶ ἐς τριάκοντα μυριάδας τοῦτο ἐπηύξησε* (2). » Quo ex loco, scribit Perizonius, putem vel jam tunc in » animo habuisse Augustum hanc summam præfinire tandem censui » amplissimi senatus, vel certe illud Augusti factum Suetonium in er» rorem induxisse, ut, quum animo ejus observaretur, Augustum tot » senatoriis adolescentibus censum supplevisse usque ad duodecies. HS., » eamque summam certo sciret post illum imperatorem fuisse propriam » censui senatorum, ex eo existimaverit, id tunc ab illo ipso fuisse » constitutum" (3). Omnes autem senatu excludebantur, qui censum senatorium supplere non valebant, adeo ut, etsi jam lecti inter senatores, tamen quando patrimonii naufragium passi essent, ab hoc honore removerentur, quod indicat Cicero: » Is, inquit, habet in Volaterrano possessionem, cum in eam tanquam e naufragio reliquias con» tulisset. Hoc autem tempore eum Cæsar in senatum legit: quem or» dinem ille, ista possessione amissa, tueri vix potest. Gravissimum » autem est, cum superior factus sit ordine, inferiorem esse fortuna; » minimeque convenit, ex eo agro, qui Cæsaris jussu dividatur, eum

(1) Vid. Dio Cass. lib. LIV. pag. 540.
(2) Vid. Dio Cass. lib. LV. pag. 557.
(5) Vid. Perizonius Diss. de lege Voconia pag. 198.

» moveri, qui Cæsaris beneficio senator sit" (1). Sic quoque Tiberius, quamquam honestam paupertatem innocentium sublevavit, egentissimos tamen vel senatu movit, vel loco cedere coëgit (2): et propterea laudavit Claudius illos, qui ob rei familiaris angustiam senatorio ordini sponte cessissent (3). — Sed non solum senatores ex censu legebantur, verum etiam Equites. Equestris autem census fuit omnium consensu senatorio minor, nimirum sestertium quadringentorum millium (4): et vero a primis inde temporibus Reipublicæ celebratus est, quod Livius non obscure indicat (5). Ut autem per censum Equestrem ordinem impetrabant equites, sic quoque eosdem, consumto patrimonio, Equestris dignitatis jura perdidisse, suspicari licet. Huc autem respexisse videtur Suetonius scribens » Cum » plerique Equitum, attrito bellis civilibus patrimonio, spectare ludos e » XIV non auderent metu pœnæ theatralis, pronunciavit, non teneri » ea, quibus ipsis parentibusque Equester census unquam fuisset" (6). Constat enim locum separatum in spectaculis publicis fuisse Equitibus, cum Roscius Otto Tribunus plebis legem tulerat, ut Equites in quatuordecim gradibus proxime Orchestræ junctis sederent (7). Præterea equum publicum habebant, qui a censoribus iis dabatur: et sane eorum dignitas proxima fuit senatoriæ, quandoquidem ex iis senatores legebantur (8); unde Livius hunc ordinem *senatûs seminarium* appellat (9).

Hæc censûs ratio a Servio Tullio instituta per multas ætates Romæ duravit, licet quædam aliquando mutata sint, uti deinde manifestum fiet. Ipsum autem munus censum peragendi primum ad reges pertinuit. Ita ipsum Servium Tullium censum egisse, et quater lustrum condidisse,

---

(1) Vid. Cic. Epist. ad divers. lib. XIII. Epist. 5. Conf. Hanneken. de cura Domest. Rom. Diss. IV. cap. 2. pag. 1324. tom. I. Novi Thes. Sallengrii.

(2) Vid. Vell. Paterc. lib. II. cap. 129. § 3.

(3) Vid. Tacit. lib. II. conf. præsertim Alexander ab Alexandro Dier. Gen. lib. IV. cap. 11. pag. 510.

(4) Vid. Martial. lib. V. num. 26. et Horat. Epist. lib. I. Epist. I. v. 57.

(5) Vid. Livius lib. V. cap. 7.

(6) Vid. Suet. in vita Augusti. cap. 40; ibique Duker.

(7) Vid. Livius Epist. lib. XCIX. et Horat. Epist. lib. I. Epist. I. vers. 62.

(8) Vid. Ovid. Trist. lib. IV. Eleg. 10. v. 35.

(9) Vid. Livius lib. XLII. cap. 61. Lamprid. in Alex. Sev. cap. 19.

refert Valerius Maximus (1). Post reges ejectos, uti reliquum munus regum, ita quoque jus agendi censum, obtigit primis Consulibus et Dictatoribus (2), qui per LXVII annos censum civium egerunt. Quod quoque ex eo constat, quod Livius alio loco (3), priusquam adhuc proprii magistratus, censores dicti, instituti essent, referat, censum quidem actum, sed ob consulem interfectum lustrum condi religiosum fuisse. Nisi enim consules censum eo tempore egissent, et lustrum condidissent, religio interfecti consulis non potuisset impedire, ne lustrum conderetur. Cum vero deinde bellis externis aliisque muneribus consules non diutius censum agere possent, et jam XVII anni præterlapsi essent, per quos nullus census actus erat; anno tandem CCCXI, M. Geganius Macerinus et T. Q. Capitolinus consules legem tulerunt, ut proprii censui agendo magistratus crearentur. Quæ lex cum accepta esset, peculiares huic rei magistratus creati sunt, Censores dicti (4). Et sic ad magistratum ipsum venimus, quem igitur altero capite videamus.

(1) Vid. Val. Max. lib. III. cap. 4. Ex. 3. et Livius lib. I. cap. 44.

(2) Vid. Livius lib. III. cap. 3. et lib. IV. cap. 8. Dionys. Hal. lib. V. cap. 20 et cap. 75.

(3) Vid. Livius lib. III. cap. 22.

(4) Vid. Livius lib. IV. cap. 8. Ibique Drakenb. conf. præsertim Pigh. tom. I. pag. 163.; et præcipua argumenta desumta e Diss. de censoribus Valoisii, inserta Mem. Inscr. et Eleg. Litt. Parisinæ, tom. I. pag. 64., et Gravinæ Diss. de censura, pag. 260 et seqq.



CAPUT II.

De Censura.

Censuram, id est magistratum ipsum, agebant, uti jam vidimus, censores. Hi inter magistratus majores ordinarios relati nomen a *censendo* adepti sunt. Verum cum verbum *censere* vario sensu usurpetur, a qua demum significatione *censores* dicti sint, controvertitur. Alii enim eos dictos putant a *censendo*, id est, *constituendo*, *praecipiendo*; sed probabilior videtur aliorum sententia, qui existimant censores dictos esse a *censendo*, id est æstimando, arbitrando. Verbum censere autem proprie significat *numerare*, et est a verbo *κένω*, unde est *κέντρον*, Latine *punctum*. Constat autem veteres per puncta numerasse (1). Censores quoque primo dicebantur censitores, ut quæstores quæsitores; deinde illi dicti fuerunt censitores, qui in agris agros aliasque res et in urbe privatas res taxabant (2). Censoribus autem isto tempore, quo primum creabantur, incumbebat census bonorum, inspectio morum cujusvis, et similia invidiosa munera. Unde censura a nemine appetebatur, qui umquam ad alium magistratum gerendum adspirare cupiebat. Sed quoniam censura non modo utilis, sed etiam necessaria credebatur, hoc munus vario honore auxerunt; et ita quidem,

---

(1) Hoc præcipit Wyttenbachius, in Annot. MSS. ad Jo. Dan. Lennepii Etym. Ling. Græc., tom. II., ubi legimus » *Censeo* a *κένω* derivandum, unde *κέντρον*. » Latine *punctum*; » atque per puncta numerabant veteres, unde et illud Horatii, *Omne tulit punctum*, *qui* » *miscuit utile dulci*, id est, omnes numeros abstulit, omnia suffragia consecutus est. Hinc » dicitur *censere* proprie numerare, æstimare, taxare." Conf. Fest. in voce *censeo* et *censores*.

(2) Vid. Gruter. Inscript. pag. 439.

ut hic magistratus tandem omnium apex haberetur. Constat enim censores a Romanis initio saltem creatos esse, ut censum agerent, et dein magis magisque horum potestatem esse auctam, ita ut penes eos esset morum, disciplinæque Romanæ regimen, potestas senatores legendi, et principem senatûs constituendi, cura publicorum privatorumque locorum, vectigalia, alia (1). Mors etiam ipsa censoris urbi Romæ atque toti Reipublicæ triste prodigium habebatur. Cumque sanctus magistratus esset, iis mortuum intueri vel tangere vetitum erat, antequam lustrum condidissent (2): adeo ut plerumque post consulatum aliosque magistratus tanquam supremum honorum fastigium expeteretur censura. Quare Plutarchus de ea scribit: » κορυφή δέ τίς ἐστι τιμῆς ἁπάσης ἡ ἀρχὴ, καὶ » τρόπον τινὰ τῆς πολιτείας ἁπάσης ἐπιτελείωσις, ἄλλην τε πολλὴν ἐξουσίαν » "ἔχουσα, καὶ τὴν περὶ τὰ ἤθη, καὶ τοὺς βίους ἐξέτασιν" (3). Quid mirum igitur, primis temporibus semper censores creari e patriciis (4)? Deinde vero primus censor creatus est ex plebe C. Martius Rutilus, qui quoque primus ex plebe Dictaturam obtinuerat (5). Duodecim vero annis post constitutum est, ut omnino alter censorum semper ex plebe creandus esset (6); et tandem anno urbis DCXXII primum duo censores plebeji constituti sunt (7), et ex eo tempore nullo discrimine, modo utrumque plebejum, modo utrumque Patricium, modo alterum Patricium, alterum plebejum Romani crearunt. Deinde ad dignitatem censuræ maxime faciebat, quod nemo ad eam evehebatur, nisi antea fuisset consul vel prætor: indeque Livius ut quid singulare de Licinio Crasso notat, illum ex ædilitate gradum ad censuram fecisse (8). Creabantur autem censores comitiis centuriatis, quibus reliqui omnes magistratus majores creari solebant (9). His vero comitiis nulli alii præfuisse leguntur,

(1) Vid. Chr. Thomasius Diss. Acad. tom. II. diss. 57. *de judicio seu censura morum*, p. 764.
(2) Vid. Dio. Cass. lib. LIV. pag. 541.
(3) Vid. Plut. in vita Catonis Maj. cap. 16. et Casaub. ad Suet. in vita Cæsaris, cap. 76.
(4) Vid. Zonaræ Ann. lib. VII. cap. 15.
(5) Vid. Livius lib. VII. cap. 22.
(6) Vid. Livius lib. VIII. cap. 12.
(7) Vid. Livius lib. LIX. Epit.
(8) Vid. Livius lib. XXVII. cap. 6.
(9) Vid. Livius lib. IV. cap. 8. Aul. Gell. lib. XIII. cap. 15.

nisi consules (1). Numquam vero ipsi censores comitiis præfuere, qui ne comitia quidem ullâ de re habendi jus habebant, quod e Cicerone confici potest, qui in enumerandis illis, quibus jus esset agendi cum populo, nullam censorum mentionem fecit. (2) Atque hoc loco non alienum putavi verba Trebellii Pollionis inserere, ubi censoris electio senatûs acclamatione fiebat: » Cum in æde Castorum senatus haberetur, ireturque » per sententias singulorum, cui deberet censura deferri; ubi primum » prætor edixit: quid vobis videtur P. C. de censore deligendo? Atque » eum, qui erat Princeps, cum senatus sententiam rogasset, absente » Valeriano, omnes una voce dixerunt, interrupto more dicendæ senten» tiæ: Valeriani vita censura est. Ille de omnibus judicet, qui est om» nibus melior. Ille de senatu judicet, qui nullum habet crimen. Ille de » vita nostra sententiam ferat, cui nihil potest objici" (3). Cum autem censura fuerit summæ dignitatis magistratus, maxima quoque auctoritate præditus, L. Marcius Censorinus, qui iterum censor creatus erat, legem Marciam promulgavit, ne quis bis censuram gerere posset (4). Quandoquidem igitur maximæ erant auctoritatis, semper duo creati sunt: et paulatim obtinuit, ut, altero mortuo in magistratu, superstes quoque continuo se magistratu abdicare cogeretur. Putabant enim Romani, si in censoris demortui locum alius sufficeretur, id ominosum esse; si quidem eo lustro, quo a Gallis Roma capta erat, alteruter censorum mortuus et superstiti novus collega datus esset, res in omen vertit, et deinceps observatum est, ne id iterum fieri posset (5). Et jam antea hoc obtinuisse videtur, ut censor, mortuo collega, lustrum non perficeret. Certe eo tempore, quo nondum censores instituti erant, et consules adhuc censum agebant, mortuo collega, alteri consuli lustrum condere religiosum erat (6).

(1) Vid. Livius lib. XXVII. cap. 11. et Cic. Epist. ad Attic. lib. IV. Epist. 2.

(2) Vid. Cic. de Leg. lib. III. cap. 4. Aul. Gell. lib. III. cap. 15. Conf. Manut. de Leg. Rom. cap. 32 initio.

(3) Vid. Trebell. Poll. Val. Pater et Filius, tom. II. pag. 247. Hist. Aug. Script. Lat. Min. a Sylburgio edit. Conf. Ferrarii de Veter. acclamat. et plausu lib. IV. cap. 5. pag. 130.

(4) Vid. Val. Max. lib. IV. cap. 1. ex. 3. Aur. Vict. in Vir. Ill. cap. 32. Plut. in vita Coriolani cap. 1. Conf. præsertim Alexander ab Alexandro Dier. Gen. lib. III. cap. 13. p. 634.

(5) Vid. Livius lib. V. cap. 31. lib. VI. cap. 27. lib. IX. cap. 34. Conf. Pigh. tom. I. p. 164.

(6) Vid. Livius lib. III. cap. 22.

Ob hanc quoque causam ambitioni Papirii, qui censuram gerebat, quo lustro Roma capta est, et retinendi magistratus cupiditati adscribit Livius, quod collega demortuo alium subrogaverit (1), quod certe non fecisset Livius, si ante Papirium id semper observatum fuisset. Quum autem census quinto quoque anno agebatur, propterea principio creati sunt censores in quinquennium (2); sed cum tanta potestas, per tantum temporis data, nimia videretur, Mamercum Aemilium Dictatorem legimus anno urbis CCCXIX legem tulisse, ne censura ageretur ultra annum et semestre tempus: ita ut, cum antea quinquennalis esset magistratus, nunc esset annuus et semestris. Hæc lex tamen ita lata erat, ut quidem quolibet quinquennio tantum novi censores crearentur, sed tamen illi censuram, id est magistratum, non nisi per annum et sex menses obtinerent; per reliquos autem tres annos et sex menses nulli essent censores in Republica Romana, quod ex Livio facile constat (3).

Hanc legem non diu obtinuisse, et tempore Appii Claudii abrogatam fuisse, scribit Augustinus (4), idque probari existimat Appii Claudii exemplo, qui contra hanc legem censuræ honorem retinuit, uti narrat Livius. Sed in hoc Livii loco cum legimus, eum per vim contraque leges censuram retinuisse, propterea minus probabile esse videtur hoc Augustini judicium: quamquam hujus sententiæ etiam favere censetur Asconius Pedianus, scribens » Alii sic intelligunt neque census esset, hoc est, neque » census ejus in quinquennium illud esset factus, quorum annorum » spatio instaurari census solet apud censores, quorum administratio per » lustrum, hoc est quinquennium, extenditur" (5). Sed Asconius nihil aliud monet, nisi professionem census, quam quilibet civis apud censores faciebat, aliaque munera, quæ a censoribus peragebantur, per totum quinquennium, quod erat inter creationem horum et sequentium censorum, observata fuisse; ita ut, si censores initio sui magistratus e. g.

---

(1) Vid. Livius lib. IX. cap. 34.

(2) Vid. Ascon. Pedian. in Cicer. Divinat. pag. 20. et Onuph. Panv. Comment. in lib. I. Fastorum pag. 202.

(3) Vid. Livius lib. IV. cap. 24. lib. IX. cap. 33. Conf. Christoph. Cellarii Antiq. Rom. edit. Guil. Leon. Mahne V. Cl. pag. 97.

(4) August. de legibus, in lege *Aemilia*.

(5) Vid. Ascon. Pedian. ad Cicer. in Verrem. pag. 98.

vectigalia locassent, hanc vectigalium locationem per totum quinquennium observatam fuisse. Sed sunt viri docti, qui legem Aemiliam sic interpretentur, ut dicant, hac lege constitutum esse, ut quolibet octodecim mensium spatio novi censores crearentur, inter quos præprimis Dodwellus (1); adeo ut quolibet triennio bina censorum paria fuerint. Equidem eos errare existimo. Contrarium enim patet ex historia censuræ Appii Claudii (2). Si enim, finitis octodecim mensibus, novi censores creari soliti, adeoque, octodecim mensibus censuræ Appianæ exactis, novi alii censores a populo electi fuissent, nihil retinendæ dignitati Appius prætexere potuisset: sed præterea ex tota illius oratione apud Livium colligi potest, censores adhuc in quinquennium, etiam post legem Aemiliam, creatos fuisse, licet tantum per octodecim menses ex illius legis præscripto honorem obtinuerint: et sic demum Appius prætexere potuit, legem Aemiliam sua et reliquorum censorum, qui post eam legem vi primæ legis constituti sint, creatione a populo abrogatam fuisse (3). Præterea diu post Appium adhuc obtinuit, ut quolibet quinquennio duo tantum censores eligerentur, et tamen ipsi censores tantum per octodecim menses honorem gererent; quamquam Dodwellus existimat, post Appii censuram censores iterum magistratum per totum quinquennium obtinuisse. Sed legem Aemiliam non abrogatam fuisse, potest probari, quod diu post Appii censuram censores octodecim mensibus, per quos censuræ honorem obtinuerant, præterlapsis, petierint, ut anni et bimensis tempus sibi prorogaretur ad gerendam censuram. Scribit enim Livius: « Petentibus censoribus, ut ex instituto » ad sarta tecta exigenda et ad opera, quæ locassent, probanda anni et » bimensis tempus prorogaretur, Cn. Tremellius Tribunus intercessit (4)." Illud autem facere non potuissent, si jam tum alii fuissent creati censores, idque petere etiam non necesse fuisset, si, lege Aemilia abrogata, per integrum quinquennium censuram obtinerent. Sed idem Dodwellus (5)

(1) Vid. Dodwell. de Cyclis Vet. Dissert. X. § 92. pag. 632.
(2) Vid. Livius lib. IX. cap. 34.
(3) Fusius hoc docet Drakenb. ad Liv. lib. X. cap. 47.
(4) Vd. Livius lib. XLV. cap. 15.
(5) Vid. Dodwell. l. c. Diss. X. § 18.

contendit, censores loco laudato Livii nihil aliud petiisse, quam ut in primo censuræ suæ anno duo menses intercalarentur; verum Drakenborchius hanc Dodwelli conjecturam non e felicissimis esse ostendit, cum ex verbis Livii pateat, non censores petiisse, ut primus annus censuræ tempore bimensis prorogaretur, sed ut tempus anni et bimensis prorogaretur, nempe sibi censuram gerentibus; illudque nequaquam notare posse, ut in uno anno tempus bimensis intercalaretur. Præterea probat Drakenborchius, si censores id, quod Dodwellus putat, petiissent, eos id petere debuisse a collegio Pontificum, cui concessa erat potestas intercalandi et annum ordinandi; tum vero id Tribunos plebis intercedendo impedire non potuisse, quod Pontifex Maximus rerum gestarum rationem reddere cogi non poterat (1). Ex quibus omnibus collectis et collatis apparet, post legem Aemiliam censuram, cum antea quinquennalis esset, factam esse annuam et semestrem, et quidem quolibet quinquennio novos censores creatos esse, sed tamen eos censuræ honorem nonnisi per annum et sex menses obtinuisse. Sed jam de insignibus censorum videamus, ut dein fata censuræ in Republica Romana enarremus.

Censores omnia insignia majorum magistratuum habebant, præter Lictores; inter quæ præcipue referri debent toga prætexta et sella curulis. Ministri eorum erant præcones, viatores et scribæ, qui censorias tabulas Romæ, Italiæ et omnium provinciarum conficere debebant, qui deinde censuales vocati sunt.

Censura in Republica Romana duravit fere usque ad tempora Imperatorum, et Cornelio Sylla Dictatore per aliquot annos fere de medio sublata fuit: Censorium nomen enim quod maxime exosum apud populum Romanum erat, dicit Cicero, eo tempore propter judicum culpam et dedecus exposci ab eodem populo, qui antea illud recusaret (2). Deinceps rursus restituti sunt censores, sed sub C. Julio Cæsare sunt

---

(1) Docet hoc Drakenborchius ad Liv. lib. XLV. cap. 15., qui omnino videndus est, et loci citati. Conf. præsertim Manut. de leg. pag. 1040. et Hottom. de magistr. Rom. pag. 1866. tom. II. Ant. Rom. Thes. Græv.

(2) Vid. Cic. Divinat. in Q. Cæc. cap. 3. ibique Ascon. Pedian. et Sigon. Comment. in Fast. pag. 268. tom. I. Hist. Rom. Script. Lat. Edit. Sylburg.

iterum intermissi. Ultimi enim censores populi suffragiis creati fuerunt anno Urbis DCCIII. Appius Claudius Pulcher, et L. Calpurnius Piso (1). Appius Claudius autem maximus erat adversarius Julii Cæsaris, et favebat partibus Pompeji : cumque nimia severitate censoria Senatores et Equites notaret, præter suam voluntatem Cæsari multum profuit, cum omnes ab eo notati deinceps partes Cæsarianas sequerentur (2) : adeo ut ex historia illius temporis conjecturam facere possimus, hanc censoriam severitatem in tam perverso civitatis statu, propter factiones et dissidia, accelerasse censuræ interitum. Ipse vero Cæsar, cum rerum summa potitus esset, sub nomine *præfecturæ morum* censoriam potestatem gessit (3). Quæ potestas ei in triennium concessa erat (4): quare Cicero eum aliquando *præfectum morum* appellavit (5). Sed quamquam Cæsar præfecturam morum gessit, tamen nullus e veteribus narrat eum notas censorias erga ullum usurpasse, sive senatorem sive plebejum. Narrat quidem Suetonius (6) eum diremisse nuptias Prætorii viri, qui digressam a marito post biduum statim duxisset, quamvis sine probri suspicione; sed ex his verbis non confici potest propterea Cæsarem ignominia notasse senatorem. Sed minus recte Bodinus refert, ubi de censura C. Julii Cæsaris agit, eum ut censum accuratius faceret singulorum domos adiisse, et quoniam præcipua potissimaque pars ejus muneris ad confirmandos civium mores pertinuerit, se magistrum morum, non censorem, appellavisse (7). Nimirum Bodinus spectat locum Suetonii « recensum » populi agit, nec more nec loco solito, sed vicatim per dominos in- » sularum egit (8)." Sed uti jam cap. I. diximus, hoc loco non legitur censum, sed recensum: et præterea Suetonius non agit de censu universi populi, sed de recensione inopis plebis, quæ frumentum publice acci-

---

(1) Vid. Pigh. l. l. tom. III. pag. 165.
(2) Vid. Dio Cass. lib. XL. pag. 149.
(3) Vid. Suet. in ejus vita cap. 76.
(4) Vid. Dio Cass. lib. XLIII. pag. 220.
(5) Vid. Cic. Epist. ad diversos lib. IX. Epist. 15. ibique Corrad.
(6) Vid. Suet. in ejus vita cap. 43.
(7) Vid. Bodin. de Republ. lib. VI. cap. 1. pag. 972. Francof. anno MDXCI.
(8) Vid. Suet. in vita Cæsar. cap. 41.

piebat. Deinde Octavianus Augustus censuram initio non recusavit et Agrippæ collega fuit, cum morum præfecturam in quinque annos in se suscepisset (1). Statim senatum examinavit, in quem ordinem, quum multi Equites ac plebeji homines bellis civilibus adsciti essent, cumque eos adhortatus fuisset, ut ipsi de genere et vita sua judicium ferrent, multi sua sponte senatu cesserunt (2). Postea cum Augustus suam jam aliquando firmasset potestatem, cum populus eum perpetuum censorem constituere vellet, hunc titulum recusavit, et statim alios censores creari curavit, Paullum Aemilium Lepidum et L. Munatium Plancum; qui postremi censores ex privatis fuerunt; sed revera erant nulli censores, nam ipse plerumque, quæ eorum officii erant, egit. Prohibuit enim, cum Equites et fœminæ illustres adhuc in orchestra saltarent, ne illi, qui Equestris essent ordinis, id facerent (3). Et astuta fuit Augusti dissimulatio in corrigendis moribus. Nam, ut unum exemplum afferam, quum in censura ad eum quidam adolescens adduceretur, qui mulierem uxorem duxerat, quacum habuerat adulterii consuetudinem et multis esset accusatus : « Seditiones, inquit, multa mala nobis attulerunt. Ea obli- » vioni demus, idque curemus, ne quid simile in posterum fiat (4)." Denique ut invidiam multorum evitaret, per alios senatum examinandum, indignosque ex eo movendos curavit (5). Sub Tiberio et Caligula censura desiit, idque facile potest probari, cum nulli auctores, qui de Romana Republica scripserunt, de eorum censura mentionem fecerint, et præterea ex Tacito constet, Tiberium quibusdam senatoribus de luxu conquerentibus respondisse : « Non id tempus censuræ; nec si » quid in moribus labaret defuturum corrigendi auctorem (6)," et postea cum de luxu coërcendo et legibus sumtuariis ageretur, prudentissima oratione id fieri dissuasit (7). Claudius rursus censuræ nomen re-

(1) Vid. Dio Cass. lib. LIV. pag. 527. Suet. in ejus vit. cap. 27. et Tabula II Monumenti Ancyrani.

(2) Vid. Dio Cass. lib. LIII. pag. 494.

(3) Vid. Dio Cass. lib. LIV. pag. 521.

(4) Vid. Dio Cass. lib. LIV. pag. 532.

(5) Vid. Dio Cass. lib. LV. pag. 556.

(6) Vid. Tacit. Ann. lib. II. cap. 33.

(7) Vid. Tacit. l. c. lib. III. cap. 53.

duxit, qui hunc magistratum gessit, assumto sibi collega Lucio Vitellio. Ejus censura, quod ad mores corrigendos, fuit maxime inæqualis ac varia, ut facile constat ex Suetonio, qui hujus rei multa exempla affert (1). Deinde anno Urbis DCCCXXVII Vespasianus cum Tito filio censuram gessit, lustrumque condidit, de quo ita Suetonius: « suscepit et censuram, ac per » totum imperii tempus nihil habuit antiquius, quam prope afflictam nu- » tantemque Rempublicam stabilire primo, deinde et ornare. — Ac ne quam » occasionem corrigendi disciplinam prætermitteret, adolescentulum fra- » grantem unguento, cum sibi pro impetrata præfectura gratias ageret, » nutu adspernatus, voce etiam gravissima increpuit: maluissem allium » oboluisses (2)." Domitianus deinde perpetui censoris nomen sibi arrogavit: quid autem ad morum correctionem egerit, cum severus in luxuriam et libidinem esset, recenset Suetonius (3). Post Domitianum cum reliqui Imperatores titulo censoris uti abstinuerint, fere nulla censorum exstat memoria (4), nisi quod Trebellius Pollio narrat, sub Decio Valerianum omnium consensu censorem creatum esse, sed addit, Valerianum censuram accipere noluisse, scribit enim: « Sed Valeriano sententia » hujusmodi fuit: quæso, sanctissime Imperator, ne ad hanc me neces- » situdinem adiges, ut ego judicem de populo, de militibus, de senatu, » de omni penitus orbe, judicibus et tribunis, ac ducibus. Hæc sunt, » propter quæ Augustum nomen tenetis, apud quos censura desedit; » non potest hoc implere privatus. Veniam igitur hujus honoris peto, » cui vita impar est, impar est confidentia; cui tempora sic repugnant, » ut censuram hominum natura non quærat (5)."

(1) Vid. Suet. in ejus vita cap. 16. ibique Casaub. et in Vita A. Vitellii cap. 2. et Spanh. l. c. pag. 737.

(2) Vid. Suet. in ejus vita cap. 8. Plin. lib. VII. cap. 49. Onuph. Panv. Comment. in lib. II. Fast. pag. 325. et Censorin. de Die Nat. cap. 16.

(3) Vid. Suet. in ejus vita cap. 8. et Robert. de Mag. Imp. pag. 39. seqq. tom. III. Thes. Ant. Rom. Græv.

(4) Vid. Dio Cass. lib. LIII. pag. 509.

(5) Vid. Trebell. Poll.; Valer. Pat. et Fil. pag. 247. De fatis censuræ sub Imperatoribus doctissime scripserunt Jul. Cæs. Bulenger. de Imp. Rom. lib. I. cap. 21. pag. 53. Spanh. de usu et præstant. Numismat. Diss. VIII. pag. 733. Christ. Thomas. Diss. Acad. Diss. LVII. de judicio seu censura morum. Cap. 2. § 21. et seqq. et Bodinus de Republ. lib. VI. cap. 1. p. 972.

Hæc de fatis et interitu Censuræ; de quo ultimo adeo pauca a scriptoribus tradi miramur. Sed nos non diutius in his inquirendis versabimur, cum et fata et interitus censuræ e fastis censoriis, quos in secunda parte hujus commentationis exhibebimus, satis apparebunt. Hoc tamen dicimus constare, sæpius fuisse intermissionem censûs vel censuræ, cum inter primum lustrum a Servio Tullio institutum et ultimum, quod Vespasianus condidit, interfuerint anni fere DCL, et per illud temporis spatium non plura quam septuaginta quinque lustra condita sint (1).

CAPUT III.

De Censorum Muneribus.

Munera censorum facillime in quinquc partes dividuntur; quarum prima continet censum: secunda Senatus lectionem et Equitum reliquorumque civium in centurias descriptionem: tertia magisterium morum: quarta curam pecuniæ publicæ et vectigalium: quinta tutelam locorum publicorum et privatorum ac minora officia. Ut hæc melius perspiciantur, de his seorsum agemus. His enim clare perspectis, deinde melius in Fastis exhibendis dijudicare poterimus, quid a censoribus, muneris solâ ipsorum ratione habitâ, dignum memoratu peractum sit.

§ I.

E cap. I. jam satis mihi videtur apparuisse, quid ad censum Roma-

(1) Vid. Censorin. de Die Nat. cap. 18. ibique Lindenbrog.

norum pertinuerit, quare hanc rem breviter absolvemus, ne his vel illis repetitis, aut integris ubique primi capitis locis appositis, molestum sit lectori, neve nimium crescat hæc nostra commentatio.

Præcipuum munus igitur censorum, sane primis temporibus, erat, ut censum agerent, id est, ut ad exemplum Servii Tullii cives numerarent, eorumque bona æstimarent. Postquam enim juraverant censores, se nihil gratiæ neque odio esse daturos, sed sincero animo censum acturos, præconem jubebant omnes cives ad concionem, vel ut ipsi dicebant, in Licium vocare (1). Omnis civis itaque citatus coram censoribus in sella curuli sedentibus edebat nomen, ætatem, tribum, domicilium, uxorem, liberos, stipendia, bona, servos, denique omnia, quæ jure civili emi vel vendi poterant, ac jure Quiritium erant acquisita; quæ proprie *censui censendo* dicebantur (2); exceptis iis, quorum ususfructus ab aliis percipiebatur. Atque hæc omnia in tabulas censorias referebantur per scribas. Fiebant autem hæc, ut in publicis tabulis monumenta exstarent, quantum civitas valeret pecunia opibusque ac numero militum. Pro census enim ratione erat tributum, et quo majores minoresve a censoribus possessiones æstimatæ erant, eo majus minusve erat tributum a censito in ærarium conferendum. Hinc plerumque censores, si credebant, non vere aliquem bona esse professum, duplicabant ea, et hinc cives, edito censu, jurare debebant se cuncta vere esse professos. Censu peracto *lustrum* condebatur, id est tempus quinquennale solenniter finiebatur. *Lustrum* enim in hac locutione notat tempus quinque annorum (3); *condere* vero aliquando pro finire ponitur (4). Lustrum autem condebatur solenni sacrificio lustrali in campo Martio (5), quod dicebatur *suovetaurilia* (6), quod constabat sue, ove et tauro, quæ circumferebantur circum populum Romanum in Campo Martio congregatum (7).

---

(1) Vid. Fest. in voce *in Licium*.

(2) Vid. Fest. in voce *censuicensendo* et quæ notavimus in cap. I.

(3) Vid. Fest. in voce *lustrum*.

(4) Vid. Servius ad Virg. Ecl. IX. V. 51.

(5) Vid. Livius lib. X. cap. 9.

(6) Vid. Livius lib. I. cap. 44. et Fest. in voce *solitaurilia*.

(7) Vid. Ascon. Pedian. ad Cic. in Divinat. in Q. Cæc. pag. 20. et Interpretes ad Caton. de Re rustica cap. 141. tom. I. pag. 101. Auctor. Rei rusticæ a Gesnero Edit.

Cæterum lustrum non condebatur ab utroque censore, sed tantum ab alterutro : et quidem primis temporibus videntur censores, cum adhuc uterque Patricius esset, inter se sorte comparasse, uter lustrum conderet. Postquam vero alteruter censor ex plebe creatus est, soli Patricii aliquamdiu lustrum condidere, sive quod constitutum fuerit, ut soli Patricii id facerent, sive sors çonstanter omni hoc tempore censori Patricio faverit, eique soli lustri condendi dederit jus. Primus tandem Cn. Domitius censor e plebe lustrum condidit (1). Postea sorte definitum fuisse, uter lustrum conderet censor, Patricius an plebejus, constat e Livio (2). Cui sors obtigisset, is coronatus et prætextatus ipse hostias securi percutiebat (3); deinde vota pro salute Reipublicæ Romanæ in proximum lustrum suscipiebat, et ex publicis tabulis solemnem illam precationem recitabat, qua precatione Dii immortales rogabantur, ut populi Romani res ampliores melioresque facerent. Hanc autem precationem primus immutavit Scipio Aemilianus, cum lustrum conderet, dicens, « satis bonæ ac magnæ sunt, itaque precor, ut eas perpetuo » incolumes servent," et in hunc modum in publicis tabulis precationem emendari jussit (4). Sed aliquando, censu acto, lustrum non condebatur, si nempe proximo quinquennio insignis calamitas accidisset, tum enim lustrum condere religiosum habebatur (5). Post Vespasiani Imperatoris tempora hic mos lustrum condendi plane intermissus est (6).

§ II.

Primo Senatus legebatur a regibus, uti constat; iisque pulsis, a consulibus, donec anno CCCXI censores creati sunt, quibus hoc munus

---

(1) Vid. Livius Epit. lib. XIII.

(2) Vid. Livius lib. XXXVIII cap. 36. et Varro de L. L. pag. 62.

(3) Vid. Liv. lib. I. cap. 44. Cic. de Orat. lib. I. cap. 41. lib. II. cap. 66. Suet. in vit. Aug. cap. 91.

(4) Vid. Val. Max. lib. IV. cap. 1. ibique Interp. Pigh. tom. I. pag. 169. et Ernestus in Clav. Cicer. in voce *lustrum*.

(5) Vid. Livius lib. III. cap. 22.

(6) Vid. Censorin. de Die Nat. cap. 18.

peculiariter demandatum erat. Nam dum Respublica libera erat, semel tantum Dictator Senatui legendo creatus est, nimirum post cladem Cannensem, M. Fabius Buteo (1). Jus autem Senatum legendi non statim videtur fuisse penes censores, sed postea demum ad eos translatum, cum aliquamdiu consules et tribuni militum consulari potestate legerent Senatum. Et hujus sententiæ multum præsidii est in Liviano loco, ubi causas narrat, quare censores creati sint: inter quas non invenimus censores creatos esse, ut Senatum legerent. Ait enim Livius: « Ortum » autem initium rei (censuræ) est, quod in populo, per multos annos » incenso, neque differri census poterat, neque consulibus, quum tot » populorum bella imminerent, operæ erat, id negotium agere (2)." Et antea jam scripserat, « idem hic annus censuræ initium fuit, rei a » parva origine ortæ: quæ deinde tanto incremento aucta est, ut morum » disciplinæque Romanæ penes eam regimen, Senatus Equitumque cen- » turiæ, decoris dedecorisque discrimen sub ditione ejus magistratus, » publicorum jus privatorumque locorum, vectigalia populi Romani sub » nutu atque arbitrio essent (3)." Sed præterea anno urbis CCCXIX C. Furius et M. Geganius censores M. Aemilio irati, quod legem tulerat, ut censura annua et semestris foret, non eum in legendo Senatu præterierunt, sed tribu moverunt, atque censu octuplicato ærarium fecerunt; quoniam jus legendi Senatum adhuc penes consules et tribunos consulares erat (4) et Festus hoc confirmat dicens: « Ita post exactos eos, consules » quoque et tribuni militum consulari potestate conjunctissimos sibi quos- » que Patricios et deinde plebejorum legebant; donec Ovinia Tribunitia » intervenit, qua sanctum est, ut censores ex omni ordine optimum » quemque curiatim Senatu legerent (5)." Quando autem hæc lex Ovinia lata fuerit, incertum est; Drakenborchius vero probat hanc legem esse latam inter annum CCCXIX et annum CCCCXLI (6), et ex Fastis censoriis

(1) Vid. Livius lib. XXII. cap. 22.
(2) Vid. Livius lib. IV. cap. 8.
(3) Vid. l. c.
(4) Vid. Livius lib. IV. cap. 24.
(5) Vid. Fest. in voce *præteriti.*
(6) Vid. Livius lib. XXXIX. cap. 42. ibique Drakenborch. et Pigh. tom I. pag. 292.

6

dein exhibendis manifestum fiet, multum temporis præterlapsum esse post primos censores creatos, antequam apud Livium aliosque auctores invenimus Senatum a censoribus fuisse lectum. Censores itaque quolibet lustro sive quinquennio Senatum recensebant, quod proprie *Senatum legere* dicebatur (1). Ratio hujus locutionis hæc est, quod nomina Senatorum per censores transcriberentur in catalogum, et inde recitarentur (2). In hac autem Senatus lectione censores eum ordinem servare poterant, quem vellent. Qui vero primo loco lectus erat, *Princeps Senatus* et dicebatur, et habebatur per integrum illud quinquennium (3): adeo ut, qui semel Princeps Senatus lectus fuerat, sæpe ab aliis censoribus lectus hanc dignitatem retineret (4). Censores autem inter se sorte comparabant, uter censor Senatum legeret, et is, cui id sorte obtigisset, Principem Senatus legebat, quem volebat (5). In hac vero Senatus lectione censores quoque poterant omittere nomina illorum Senatorum, qui vitam summo hoc ordine indignam egissent, qui ea ratione Senatu ejiciebantur: verum hac de re infra plura dicenda erunt; nunc animadvertimus, censoribus in Senatu legendo quamdam rationem habendam fuisse. Nimirum cum solis adhuc Patriciis aditus in Senatum pateret, Senatoresque non aliunde quam ex ordine Patriciorum allegerentur, censores neminem in Senatum legebant vel ex ordine Equestri, vel ex plebe, nisi antea inter Patricios relati forent (6). Postea vero obtinuit, ut etiam alii quam Patricii Senatores fieri possent (7). Præterea observare debebant censores, ne eum in Senatum legerent, qui vel ipse serviisset, vel patre liberto natus esset (8). Spectabantur quoque a censoribus in eo, quem in Senatum legerent, non solum census, cum,

---

(1) Vid. Livius lib. XXXIX. cap. 42.
(2) Vid. Livius lib. XXIII. cap. 23.
(3) Vid. Livius lib. XL. cap. 51. lib. XLI. cap. 27. XLIII. cap. 15. et alibi.
(4) Vid. Livius lib. XXXIX. cap. 52. ibique Turneb. et lib. XXIX. cap. 37.
(5) Vid. Livius lib. XXVII. cap. 11.
(6) Vid. Dion. Hal. lib. V. cap. 13.
(7) Vid. Sigon. de Ant. jure civ. Rom. lib. II. cap. 2.
(8) Vid. Cic. Orat. pro Cluent. cap. 47. ibique Sylv. Hinc ut contra majorum instituta de Claudio Imperatore narratur, quod patre natos libertino Senatores legerit. Suet. in vit. Claud. cap. 24.

ut cap. I. jam ostendimus, nemo Senator olim fieri posset, nisi octingenta millia sestertiûm possideret, verum etiam ætas, quod et exinde patet, quod plurimi veterum tradunt Patres ac Senatores ob senectutem dictos fuisse, et hinc ætatem Senatoriam memorat Gellius (1). Quænam vero ætas requireretur, nemo veterum definivit, et multa viri docti de ea conjecerunt; sed nihil certi definiri potest, nisi quod Mæcenas Augusto suaserit, ut permitteret, anno ætatis vigesimo quinto Senatores allegi posse (2).

Eodem modo Equites a censoribus recensebantur. Eques autem vocatus a Præcone cum suo equo armatus ad censores accedebat, et rationem vitæ, militiarum, stipendiorum et multarum aliarum rerum reddebat. Nemo autem, licet e familia Equestri prognatus esset, erat Eques, nisi a censoribus ordini Equestri adscriptus esset (3); ita tamen, ut ante censores institutos, eadem potestas fuerit primo penes reges, deinde penes consules. Qui autem in ordinem Equestrem allegebatur, equum publicum accipiebat, qui emebatur publicis impensis, et ex tributo, quod viduæ Reipublicæ pendebant, ali solebat (4), et quidem novus ille Eques Romanus equum accipiebat a censore (5). Non autem censores omnes cives sine ullo discrimine in ordinem Equestrem allegere poterant, sed curabant, ut non modo legerentur Equites ex familiis Equestribus, sed etiam Patriciis (6). Videntur tamen etiam allecti fuisse homines plebeji, cum ex Livio constat M. Livium Salinatorem equum publicum habuisse, adeoque fuisse in ordine Equestri (7): et tamen familiam Liviorum plebejam fuisse testatur Suetonius (8). In Equitibus allegendis censores quoque ætatem spectabant. Sed quot annos quis natus esse de-

(1) Vid. Aul. Gell. lib. XIV. cap. 8. ibique Gronov.
(2) Vid. Dio. Cass. lib. LII. pag. 477.
(3) Vid. Cic. de Leg. lib. III. cap. 3.
(4) Vid. Livius lib. I. cap. 43.
(5) Vid. Livius lib. V. cap. 7. et lib. XXXIX. cap. 19.
(6) Isidor. Orig. lib. IX. cap. 4. tradit, omnes Patriciorum filios usque dum ipsi Senatores per ætatem fieri poterant, Equites Romanos fuisse.
(7) Vid. Livius lib. XXIX. cap. 37.
(8) Vid. Suet. in vit. Tiber. cap. 3.

beret, ut Eques fieri posset, incertum est (1). Hoc tamen constat, maxime censum spectari, cum census Equester erat 400 HS. Qui vero hunc censum non habebant, non modo a censoribus inter Equites legi non poterant, sed et quicunque, cum Eques lectus esset, eum habuerat, sed postea minus possidere inceperat, ordinem Equestrem amittebat (2). Nam præter *annuam transvectionem* (3), quinto quoque anno Equites ad censorem accedebant, et ex equis descendentes manu eos ante censorem traducebant, et rationem vitæ, militiarum stipendiorumque reddebant (4). Censor autem tum judicabat de eorum agendi ratione et moribus; et si quidam Eques censum suum Equestrem non haberet, vel vitam suo ordine indignam gessisset, aut equum nimis negligenter habuisset, censor eum jubebat, ut equum venderet; probatus vero Eques jubebatur, ut equum traduceret (5). Et sic ad regimen morum, quod habebant censores, progressi sumus.

§ III.

Censorum potestas, cum initio saltem creati erant, ut lustri faciendi causa populum censerent, adeo crevit, ut iis cura morum incumberet, adeo ut inspicerent mores universi populi, omnium ordinum et viderent ne vel in luxu, vel in aliis vitiis nimium peccaretur, unde quoque eorum munus vocabatur *magisterium morum* (6). Sed cum multi *magis-*

---

(1) Is, qui Eques fieret, debebat 18 annorum esse secundum Dion. Cass. lib. LII. pag. 477. Hinc Equites sæpenumero describuntur ut juvenes. Vid. Val. Max. lib. II. cap. 2. ex. 9. et hinc explicant viri docti titulum, qui in monumentis antiquis, nummis et lapidibus Imperatorum filiis et nepotibus tribui solet, nimirum *Principes juventutis*. Vid. Spanh. lib. laud. Diss. VIII. pag. 662. et seqq. et Novis. in Cœnotaph. Pisan. Diss. II. cap. 3.

(2) Hoc indicat Horat. Epist. lib. I. Epist. 1. v. 57.

(3) De hac annua transvectione Equitum vid. præsertim docte conscripta Diss. Jo. Erhard. Kappii *de annua Equitum Rom. transvectione et de eorundem recognitione et censura* pag. 33. et seqq. Lips. anuo MDCCXXXIV.

(4) Vid. Spanh. lib. cit. Diss. VI. pag. 551. et Lips. in Tract. de censura et censu pag. 617. et Suet. in vit. Aug. cap. 38.

(5) Aul. Gell. lib. IV. cap. 20. Val. Max. lib. IV. cap. 1. Ex. 10. et Ovid. Trist. lib. II. Eleg. 1. v. 89.

(6) Vid. Cic. Prov. consul. cap. XIX. et Gronov. ad Liv. lib. XXIV. cap. 25.

terium morum, *judicium criminale* et *judicium civile* inter se confundant, primum videamus, quæ delicta a censoribus notarentur. Nimirum judicium criminale proficiscebatur e legibus, quibus crimina coërcerentur et delicta, et omnia quæ contra leges agebantur. Cum contra a censoribus, qui agebant magisterium morum, non tam delicta publica vindicabantur, quæ legibus puniebantur, quam quidem vitia, de quibus nullæ leges latæ erant (1). Hanc autem sententiam exemplis probemus. Sic censores eos notabant, qui per omnem vitam cælibes manebant, aut a matrimonio legitimo abhorrebant, aut qui uxores, quas virgines duxerant, sine ullo amicorum consilio repudiabant, aut qui legem de coërcendis conviviorum sumtibus abrogaverant (2). Sic legimus Equites, qui equos publicos minus diligenter curaverant, a censoribus notatos esse (3). Sic memoriæ proditum est, censores in eos animadvertisse, qui ob æris alieni magnitudinem prædia sua manciparent, et bona in sua potestate non haberent (4): et in eos, qui in bello minus fortes ac negligentes fuissent, et quæ hujus generis alia. Cum autem propria quædam animadversio fuit censorum circa Senatores et Equites, quæ locum non habuerit circa plebejos: de illis prius, de his posterius videamus.

Cum censores singulis lustris recensebant Senatum, ut in demortuorum locum alios sufficerent, iis potestas fuit Senatores e Senatu ejiciendi, dignitatemque Senatoriam adimendi (5). Nam cum censor recitabat nomina eorum Senatorum ex catalogo, e quibus Senatus lustro proximo constaret, et quemdam notare volebat, solummodo ejus nomen omittebat, quod signum erat, illum a censoribus e Senatu ejectum esse (6). Postea

(1) Hoc multis aliorum locis probat Thomas. Diss. Acad. Diss. LVII. pag. 750 et seqq. et omnino videndus est egregius locus Bodini de Republ. lib. VI. cap. 1. pag. 984. Animadversiones censorum aliquando *notiones* censorum vocantur, uti apud Cic. pro Sextio cap. 25. et de Off. lib. III. cap. 31 Quæ sæpius notæ censoriæ appellantur dicunturque de ignominiæ pœnis, quibus in cives uti poterant censores.

(2) Vid. Val. Max. lib. II. cap. 9. ubi multa hujus rei exempla.

(3) Vid. Aul. Gell. lib. IV. cap. 12.

(4) Vid. Ascon. Pedian. in Cic. Orat. in Toga Candida pag. 145.

(5) Vid. Plut. in Aemil. Paul. cap. 38.

(6) Vid. Livius lib. XL. cap. 10.

autem, si censor quemdam Senatorio ordine indignum judicaret, eum non solum in Senatu legendo præteribat, verum etiam causam prætereundi addebat, adeo ut præteritorum vel ejectorum nominibus eæ rationes subscriberentur, quæ proprie dicebantur *Elogium* vel *subscriptiones censoriæ* (1). Sunt qui putent, id usu receptum fuisse tempore Catonis censoris, qui in hoc magistratu multas res novas constituit, inter quos Gundlingius (2), qui hanc opinionem probare conatus est verbis Nepotis « At Cato, censor cum eodem Flacco factus, severe præfuit ei potes» tati. Nam et in complures nobiles animadvertit, et multas res novas » in edictum addidit, qua re luxuria reprimeretur, quæ jam tum inci» piebat pullulare (3)." Existimat præterea Gundlingius, id institutum fuisse per legem *Orchiam*, vel *Orchiam Fanniam*, quas leges tribunitias fuisse patet ex Macrobio (4), et ex quibus ne Orchia derogaretur, Oratione ipsum Catonem suasisse ex Festo (5) manifestum est. Itaque contendit legem Orchiam inter alia, ut quotidie invalescens luxuria compesceretur, etiam illud constituisse, ut Senatores, qui huic vitio dediti essent, non solum a censoribus e Senatu moverentur, verum etiam ut motis adscriberentur causæ, cur notati essent. Ut vero probet lege Orchia aliquid hujus rei constitutum, eaque etiam censorum mentionem factam esse, affert locum Festi, ubi ait: « Donec Ovinia tribunitia intervenit, qua sanctum est, ut censores ex omni ordine quemque curiatim Senatu legerent: quo factum est, ut qui præteriti essent, et loco moti, haberentur ignominiosi (6)." Jam vero Festi loco laudato pro *Ovinia* legendum existimat *Orchia* vel *Orchia Fannia*. Sed Dukerus et Drakenborchius docent, hanc Gundlingii emendationem et conjecturam, per legem Orchiam id institutum fuisse, ut ex Senatu motorum nominibus notæ subscriberentur, nequaquam veri similem esse, cum Ovinia tribu-

(1) Vid. Ascon. Pedian. l. l. pag. 145. et Livius lib. XXXIX. cap. 42. Cic. pro Flacco. cap. 10. Suet. in vit. Aug. cap. 43.

(2) Vid. Gundl. l. l. tom. XVI. pag. 67. et seqq.

(3) Vid. Corn. Nep. in vit. Caton. cap. 2.

(4) Vid. Macrob. Saturn. lib. II. cap. 13.

(5) Vid. Festus in voce *Obsonitavere* ibique Jos. Scaliger.

(6) Vid. Festus in voce *praeteriti*.

nitia a Festo memorata pertinet ad ea tempora, quibus potestas Senatum legendi, quæ olim ad reges et consules pertinuerat, censoribus primum data est, adeo ut, si emendatio eversa sit, aliquid de censoribus lege Orchia constitutum fuisse, multo minus hanc legem possimus dicere constituisse, ut censores nominibus e Senatu motorum causam facti subscriberent. Denique Dukerus eumque secutus Drakenborchius ex Livii verbis « Patrum memoria institutum fertur, ut censores motis Se» natu notas adscriberent (1)" probant, id minime esse institutum a Catone, cum ad minimum inter Catonis censuram et tempus, quo Livius historiam scripsit, plures quam 175 anni interfuerint, idque, quod ante 175 annos institutum erat, non posse dici *Patrum memoria* factum, quod Latini scriptores de tam longi temporis intervallo ita loqui non soleant. Itaque adsentiuntur iis, qui existimant, non tempore Catonis, sed diu postea institutum fuisse, ut Senatu motis notæ adscriberentur (2). Et revera si ad locum Livii attendamus, animadvertimus Livium ex eo demonstrare Catonis censoris severitatem, quod in multos sua opera Senatu motos acerbas orationes habuerit. Tempore autem Gellii et Lentuli, qui censores fuerunt anno urbis DCLXXXIII in usu jam erat, ut Senatu motorum nominibus notæ subscriberentur, quod facile ex Asconio Pediano probari potest (3).

Quicunque autem Senatorum a censoribus notatus erat, non solum a Senatu abstinere debebat, verum etiam omnibus honoribus ac privilegiis, quæ huic ordini concessa erant, privatus erat. Hujus rei luculentum exemplum præbet Lucius Quintius Flaminius, vir consularis, qui cum a Catone censore Senatu motus esset, et theatrum ingrederetur, ut ludos spectaret, loco consularibus adsignato considere non ausus est, sed inde longe remotus mansit, donec populi clamore coactus est in locum consularem transire (4).

---

(1) Vid. Livius lib. XXXIX. cap. 42.

(2) Vid. Duker. et Drakenb. ad Liv. lib. XXXIX. cap. 42, ubi plura monentur. Non negandum tamen est Gundlingii sententiæ multum præsidii esse in loco Gellii lib. IV. cap. 20., quem locum quoque ad suam sententiam probandam attulit, ibique de Catone agere Gellium patet ex Cic. de Orat. lib. II. cap. 64.

(3) Vid. Ascon. Pedian. l. l. pag. 145. Conf. Manut. de Senatu Rom. cap. 3. in medio.

(4) Vid. Plut. in vita Caton. cap. 18.

Verum et Equites quovis quinquennio a censoribus recensebantur, cum eorum nomina per præconem ex catalogo recitarentur. Quisque igitur Eques vocatus veniebat ad censores, qui et in ejus vitam et in mores inquirebant. Qui a censoribus probabantur, iis equus publicus relinquebatur, et contra, si quem notare vellent, ei equum adimebant (1), vel equitem equum vendere jubebant (2). Sub eorum quoque nominibus causæ, cur e suo ordine moverentur, subscribebantur. Sic C. Claudius et M. Livius censores, alter alteri equum publicum adimentes, causam, quare id facerent, addebant; et multa hujus rei exempla apud Livium aliosque auctores occurrunt.

Reliqui cives variis modis notabantur, nam vel ærarii fiebant, vel tribu movebantur, vel in cæritum tabulas referebantur. Hæc singula explicemus, ut deinde videamus, quodnam sit discrimen inter tres illas notas censorias, et an tres illæ notæ obtinuerint in Senatoribus et Equitibus.

Inter ærarios relinqui, vel ærarii fieri illi dicebantur, qui a censoribus sic notabantur, ut tributum, quod ratione patrimonii in ærarium conferre debebant, proximo quinquennio bis vel sæpius quoque multiplicatum conferrent (3): adeo ut manifestum fiat, minus recte quosdam existimare, quemcunque civem, qui ærarius factus esset a censoribus, omnia jura civitatis, omnes honores et jus suffragii ferendi perdidisse, ita tamen ut ærarius pro suo capite æra tributi nomine penderet (4): unde et Dodwellus docet, cum olim hæredes ærariorum pœnæ illorum, quibus succedebant, obnoxii fuissent, postea Senatusconsulto cautum esse, ne pœna illa transiret ad heredes (5).

Tribu moveri illi dicebantur, qui a censoribus ita notabantur, ut ex tribu honoratiore in minus honoratam redigerentur, nimirum ex rustica

(1) Vid. Livius lib. XXXIV. cap. 44. lib. XXXVII. cap. 10 et passim.

(2) Vid. Livius lib. XXIX. cap. 37.

(3) Vid. Dodwell. Append. ad Prælect. Acad. Cambd. pag. 711. et Gronov. de Pecunia veterum. pag. 263. et Duker. ad Liv. lib. IV. cap. 24.

(4) Hæc est sententia Manutii de Civ. Rom. pag. 28. de Leg. cap. 19. et de Comit. cap. 2. et Sigon. de Ant. jure. Civ. Rom. lib. I. cap. 17. lib. II. cap. 16.

(5) Vid. Dodwell. pag. 714.

in urbanam (1). Postremum denique genus notæ erat, cum censores aliquem in Cæritum tabulas referrent (2). Tabulæ Cæritum autem ita nominabantur, quod Romani incolis urbis Cæræ, quum tempore belli Gallici sacerdotes Romanorum benigne recepissent, jus civitatis Romanæ dedissent, ita tamen, ut nec ipsi ad ullos magistratus Romæ provehi possent, nec in comitiis populi suffragia haberent. Et hinc illi in Cæritum tabulas relati dicebantur, qui omnibus triginta quinque tribubus a censoribus moti erant, adeo ut jure suffragiorum et honores gerendi privati essent (3). Sunt, qui existiment, censores neminem potuisse omnibus tribubus movere, quandoquidem nemini jus suffragii adimere poterant (4); utque id probent, afferunt locum Livii, ubi dicitur « Hoc quum ita ser-
» vatum esset, negabat Claudius, suffragii lationem injussu populi cen-
» sorem cuiquam homini, nedum ordini universo, adimere posse. Neque
» enim si tribu movere posset, — ideo omnibus quinque et triginta tri-
» bubus emovere posse : id est civitatem libertatemque eripere; non
» ubi censeatur, finire, sed censu excludere (5);" qui locus, si eo sensu intelligitur, quo eum accepisse videtur Nieupoortius, vehementer adversarius est huic notæ censoriæ, qua in tabulas cæritum relatis, uti diximus, jus suffragii ereptum est, quaque omnibus tribubus emoti sunt. Verum si ad totum illud caput attendamus, et ad sensum verborum, videmus Livium ibi agere de libertinis, qui per manumissionem civitatem adepti erant, eosque Gracchum ex omnibus tribubus ejicere velle in perpetuum; quodsi accidisset, revera jus civitatis amisissent: quare Claudius negat potestatem esse censori, quâ in perpetuum cives jure suffragii ferendi privaret. Et sane constat, cives, qui in Cæritum tabulas referebantur, tantum ad quoddam tempus suffragii lationem perdidisse, cum sæpe a sequentibus censoribus illis notæ demerentur. Sed præterea non credendum est, eos, qui in Cæritum tabulas relati, adeoque ex omnibus

(1) Vid. Plin. lib. VIII. cap. 3.

(2) Vid. Aul. Gell. lib. XVI. cap. 13. Horat. Epist. lib. I. Epist. 6, v. 61. et Ascon. Pedian. ad Cic. Divinat. in Cæcil. cap. 3.

(3) Vid. Strabo Geogr. lib. V. pag. 220. et Aul. Gell. l. c.

(4) Vid. Nieupoort de Ritib. Rom. Sect. II. cap. 9. pag. 129.

(5) Vid. Livius lib. XLV. cap. 15.

triginta quinque tribubus emoti erant, hac nota jus civitatis amisisse: quandoquidem ipsi Cærites, quamquam jus tribuum non habuerint, fuerunt cives Romani, relatique in Cæritum tabulas quoque in tabulis Cæritum censi sunt.

Ex his igitur omnibus manifestum est, triplices has notas revera esse diversas. Nam cum *ærarium facere* et *tribu movere* sæpissime apud Livium aliosque auctores conjungatur, concludere possumus discrimen esse inter has notas censorias, nisi Livium insanæ tautologiæ reum judicare velimus. Et præterea cum constet e Livio, C. Claudium censorem omnes triginta quatuor tribus ærarias fecisse, et si statuamus *ærarium facere* idem esse ac *tribu movere*, statuendum quoque has triginta quatuor tribus in unam tribum Metiam esse relatas, cum una Metia notæ expers erat, quod non potest. Magnum quoque est discrimen inter *tribu movere*, et *in Cæritum tabulas* referre, licet Dodwellus (1) contendat, has notas easdem esse, illudque his argumentis probare conatus est, quod Livius eorum, qui tribu moti erant, multis locis mentionem faciat, verum nullo loco in Cæritum tabulas relatos memoret: et contra, quod Asconius Pedianus (2) referat, censores in Cæritum tabulas retulisse quosdam, nullam vero tribu motorum faciat mentionem. Sed cum multi Livianæ historiæ libri temporum injuria sint deperditi, quique supersunt, adeo sint mutilati, a Livio non certam conclusionem petere possumus: cumque constet ultimis demum reipublicæ Romanæ temporibus censorum potestatem adeo crevisse, forsitan hæc potestas censoribus non fuit etiam iis temporibus, quorum Livii historia ad nos pervenit. Quod autem attinet ad argumentum ex Asconio petitum, forsitan Asconius, certe hoc conjicere possumus, propterea de tribu motis mentionem non fecit, quod intelligeret censores, qui potestatem cives in Cæritum tabulas referendi habebant, etiam sane cives ex una tribu in alteram transferre potuisse. Non enim adsentiri possumus Dodwello (3) existimanti, locutionem *tribu movere* diversam esse ab illa *de tribu in tribum transferre*, illamque signi-

(1) Vid. Dodwell. l. l. pag. 712.
(2) Vid. Ascon. Pedian. in Cic. Divinat. in Cæcil. pag. 20.
(3) Vid. Dodwell. l. c. pag. 713.

ficare *ex omnibus* 35 *tribubus emovere*. Nam cum censores civem ita notarent, ut eundem tribu moverent, hic solummodo ex illa tribu movebatur, in quam antea relatus erat; quam opinionem confirmat Livius scribens, *tribu movere* esse *mutare jubere tribum* (1). Sunt etiam, qui existiment, *ærarium fieri* et in *Cæritum tabulas referri* idem notare, inter quos Nieupoortius (2) multique alii, qui hujus sententiæ præsidium putent in loco Asconii Pediani (3). Sed sive hunc locum Asconii alio modo explicemus, sive hoc quoque docere Asconium dicamus; tamen ex jam ante dictis mihi patere videtur, hanc sententiam minus probabilem esse; cum inter ærarios relati hi dicerentur, quorum census adeoque tributum pœnæ nomine multiplicabatur. Verum præterea, si unum idemque has notas esse statuamus, quomodo Livii locus explicari possit, ubi Claudius censor omnes 34 tribus inter ærarios reliquit, præter unam Metiam (4), nisi simul statuamus, sequenti quinquennio cives ex Metia tribu solummodo honores in republica Romana gessisse, et in comitiis suffragium tulisse; cum, ut ante demonstravimus, omnes, qui in Cæritum tabulas referebantur, jure suffragii ferendi et honores gerendi hac nota privarentur (5). — Hæ tres notæ, quibus cives vel tribu movebantur, vel in Cæritum tabulas referebantur, vel ærarii fiebant, non solum in plebejos homines, verum etiam in Senatores et Equites locum habebant. Contrariam sententiam tuentur Manutius (6) et alii, qui ad hoc probandum utuntur loco Asconii Pediani (7): sed pace magnorum horum virorum mihi dicere liceat, etsi Asconius dicat, plebejum in Cæritum tabulas referri et ærarium fieri, Senatorem autem Senatu ejici, Equitemque equum publicum perdere, exinde non sequi, Asconium docere voluisse, has notas non in Senatores et Equites obtinuisse; cum contra hujus verba ita interpretari possimus, ut dicamus, eum docere voluisse, præter has

---

(1) Vid. Livius lib. XLV. cap. 15.
(2) Vid. Nieup. l. l. Sect. II. cap. 9. pag. 129. et Interpres ad Aul. Gell. lib. IV. cap. 12.
(3) Vid. Ascon. Pedian. Comment. ad Cic. Divin. in Cæcil. pag. 20.
(4) Vid. Livius lib. XXIX. cap. 37.
(5) Vid. Livius lib. IV. cap. 24. et Drakenb. ad lib. XXIV. cap. 18.
(6) Vid. Manut. ad Cic. I. in Verr. cap. 57.
(7) Vid. Ascon. Pedian. l. l.

tres notas censorias aliis quoque objectos fuisse Senatores et Equites, quæ notæ in plebejos homines locum habere non potuerint, cum neque in Senatorio, neque in Equestri ordine adscripti essent, nimirum ut hi equum publicum perderent, illi Senatu moverentur. Et sane hoc multis exemplis ex historia Liviana aliorumque scriptis petitis probari potest. Sic legimus censores Mamercum Aemilium, qui jam ante bis dictaturam gesserat, tribu movisse octuplicatoque censu ærarium reliquisse (1). Sic Livius narrat, censores Q. Fulvium Flaccum et A. Posthumium Albinum omnes, quos Senatu moverant, quibusque equos ademerant, ærarios fecisse et tribu movisse (2). Sic Publ. Scipio Nasica et Marcus Popilius Equitem Romanum ærarium fecerunt (3), et alia multa hujus rei exempla apud auctores inveniuntur (4).

In his notis infligendis alter censor alterum prohibere poterat, adeo ut eæ non obtinerent, nisi uterque censor has infligendas esse judicaret: neque solum sæpe, quem unus censor notaverat, liberabatur ab altero (5), verum etiam se invicem notabant, quod ex Claudii Neronis et Livii Salinatoris exemplo luculentissime probari potest, qui censores eadem animadversione se invicem persecuti sunt (6). Sed cum censorum potestas adeo crevisset, ut quemque possent notare ex unius delatione, Publ. Clodius Tribunus plebis legem tulit anno urbis DCXCV, quæ ab eo lex Clodia nuncupata est; qua lege sancitum est « ne quem censores in » Senatu legendo præterirent, neve qua ignominia afficerent, nisi apud » eos accusatus, et utriusque censoris sententia damnatus esset (7)." Sic hanc legem explicuerunt Hotomannus (8), Augustinus (9) Alexander ab

(1) Vid. Livius lib. IV. cap. 24.
(2) Vid. Livius lib. XLII. cap. 10.
(3) Vid. Aul. Gell. lib. IV. cap. 12.
(4) Conf. Livius lib. XXIX. cap. 37. lib. XXVII. cap. 11. lib. XLV. cap. 15. Val. Max. lib. II. cap. 9.
(5) Vid. Livius lib. XL. cap. 51. lib. XLII. cap. 10. lib. XLV. cap. 15. et Cic. pro Cleunt. cap. 43.
(6) Vid. Livius lib. XXIX. cap. 37. Val. Max. lib. II. cap. 9. Ex. 6.
(7) Vid. Ascon. Pedian. Comment. in Cic. Orat. contra Pisonem cap. 4.
(8) Vid. Hotom. Ant. Rom. pag. 201.
(9) Vid. Augustin. de Leg. in lege *Clodia*.

Alexandro (1), Bodinus (2), alii; omnes Asconium secuti : Thomasius autem mavult sequi Dionem Cassium in hujus legis expositione, qui refert, Clodium hac lege sanxisse, ut is, quem censores notare vellent, prius apud *utrumque ordinem* (id est, inquit Thomasius, Senatorium et plebejum) in judicio convictus esset (3): et propterea existimat Thomasius, Asconium ex errore pro *utroque ordine* intellexisse *utrumque censorem* (4). Utrum hæc Thomasii sententia sequenda sit, an vero illorum, qui Asconium sequuntur, judicium sit probabilius, hic non dijudicabimus: hoc satis sit dicere, hac lege censoriam potestatem, quantum ad mores attinet, maxime esse debilitatam; quare etiam lex non diu obtinuit. Q. Metellus Scipio enim in suo consulatu anno urbis DCCII hanc legem abrogavit, lata lege Cæcilia, pristinamque censoriam potestatem restituit (5). Sic autem Cicero de lege Clodia : « Nam latæ quidem » sunt Consulibus illis, tacentibus dicam ? imo vero approbantibus etiam : » ut censoria notatio, et gravissimum judicium sanctissimi magistratus » de republica tolleretur (6)."

Notati a censoribus non infames erant, sed tantum ignominiosi; quod non melius mihi videtur probari, quam ex Ciceronis oratione pro Cluentio, quare hujus verba adjiciam « Quod si illud judicium putaretur, ut » cæteri, turpi judicio damnati, in perpetuum omni honore ac dignitate » privantur; sic hominibus ignominia notatis, neque ad honorem aditus, » neque in curiam reditus esset. Nunc, si quem Cn. Lentuli aut L. Gellii » libertus furti condemnarit: is, omnibus ornamentis amissis, numquam » illam honestatis suæ partem recuperabit: quos autem ipse L. Gellius et » Cn. Lentulus, duo censores, clarissimi viri, sapientissimique homines, » furti et captarum pecuniarum nomine notaverunt : ii non modo in » Senatum redierunt, sed etiam illarum ipsarum rerum judiciis absoluti

(1) Vid. Alex. ab Alexand. Dier. Gen. l. l.

(2) Vid. Bodinus de Repl. lib. VI. cap. 1. pag. 993. Conf. Pigh. tom. I. p. 167. et tom. III. pag. 363. et Zamosc. de Senat. Rom. lib. I. cap. 19. in medio.

(3) Vid. Dio Cass. lib. XL. pag. 147.

(4) Vid. Thomas. l. l. pag. 776. et seqq.

(5) Vid. Dio Cass. l. c.

(6) Vid. Cic. pro Sextio cap. 25.

» sunt. — Timoris enim causam, non vitæ pœnam in illa potestate esse vo-
» luerunt. Itaque non solum, judices, illud ostendam, quod jam videtis,
» populi Romani suffragiis sæpenumero censorias subscriptiones esse dele-
» tas, verum etiam judiciis eorum, qui jurati statuere cum religione et di-
» ligentia debuerunt. — Censores denique ipsi sæpenumero superiorum cen-
» sorum judiciis (si ista judicia appellari vultis) non steterunt. Atque etiam
» ipsi inter se censores sua judicia tanti esse arbitrantur, ut alter alterius
» judicium non modo reprehendat, sed etiam rescindat; ut alter de Se-
» natu moveri velit, alter retineat, et ordine amplissimo dignum exis-
» timet; ut alter in ærarios referri, aut tribu moveri jubeat, alter vetet.
» Quare qui vobis in mentem venit, hæc appellare judicia, quæ a po-
» pulo Romano rescindi, ab juratis judicibus repudiari, a magistratibus
» negligi, ab iis, qui eandem potestatem adepti sunt, commutari, inter
» collegas discrepare videatis? (1)" Ex quibus verbis apparet, a censoribus notatum deinceps non prohiberi potuisse a magistratu gerendo, vel muneribus publicis fungendo, et magisterium morum non proprie posse dici judicium; cum, ut jam antea vidimus, in magisterio morum nulla lex, quæ pœnam imponit, esset, illudque solummodo pertineret ad ea crimina, quæ legibus definiri nequeant (2): et præterea multa adsunt exempla eorum, qui, quamvis a censoribus notati, deinceps non a magistratu gerendo prohibebantur (3). Mamercus Aemilius enim, qui postquam bis dictator fuerat, a censoribus notatus deinceps tertium dictator creatus est (4): et quidem C. Geta et M. Valerius Messala, quorum hic censoria nota erat perstrictus, ille a censoribus Senatu motus erat, postea tamen ipsam censuram gesserunt (5). Hanc tamen notam atque ignominiam succedentes censores plerumque solvebant (6);

(1) Vid. Cic. pro Cluentio cap. 42 et 43.

(2) De eo argumento disputarunt Besoldus Oper. Politic. lib. VI. Diss. III. cap. 4. Jo. Chokierius Thes. Polit. lib. V. cap. 10. Bodinus de Republ. lib. VI. cap. 1. pag. 984, et Thomas. l. c. pag. 749 et 772.

(3) Vid. Cic. pro Cluent. cap. 43 et 45.

(4) Vid. Livius lib. IV. cap. 31.

(5) Vid. Val. Max. lib. II. cap. 9. in fine.

(6) Vid. Ascon. Pedian. l. c.

sed demta nota non statim Senatores in pristinum decus et in pristinum munus restituebantur, sed de integro debebant per gradus quasi ad honores adscendere (1), cujus rei exemplum præbet Lentulus, qui post consulatum e Senatu motus postea præturam gessit, ut rursus ad pristinum munus pervenire posset (2). Denique cum censoribus incumberet morum inspectio, debebant quoque curare, ne hæc vel illa in urbem Romam reciperentur, quæ luxuriam augerent, vel mores civium corrumperent: quare eorum edicta plerumque pertinuerunt ad mores. Huc pertinet censorum edictum, ne quis unguentum venderet (3). Ita censores edixerunt, sibi minime placere, inveniri homines, qui sibi nomen Latinorum Rhetorum imposuissent, et apud quos adolescentuli totos dies desiderent (4). Inter hæc censorum edicta quoque referendum videtur illud, quo vetuerunt, ne carnifex in urbem ingrederetur (5); et hujus generis multa edicta, quæ ad sumtus cœnarum pertinebant, memorantur apud Plinium (6). Ita quoque cælibes ad matrimonium hortabantur censores (7); primi enim M. Furius Camillus et M. Posthumius censores æra pendere jusserunt eos, qui usque ad senectutem cœlibes permansissent, quod dicebatur æs uxorium (8). Sed licet censores edicta edere potuerint, tamen non cum Nieupoortio (9) statuendum est, censores potestatem leges ferendi habuisse (10); quod et exinde patet, quod censores, ut ante ostendimus, non comitia habere, ideoque non cum populo agere poterant. Censoriarum legum quidem apud Ciceronem aliosque mentionem invenimus, sed hæ non sunt leges proprie dictæ, sed formulæ tantum, quæ

---

(1) Vid. Aurel. Vict. cap. 59.

(2) Vid. Vell. Paterc. lib. II. cap. 34.

(3) Vid. Plin. lib. XIII. cap. 3.

(4) Vid. Suet. de Clar. Rhet. initio.

(5) Vid. Cic. Rabir. cap. 5.

(6) Vid. Plin. lib. VIII. cap. 57. lib. XIV. cap. 14. lib. XXXVI. cap. 1. De his elegantem commentationem conscripsit Leop. Andreas Guadagni delle leggi censorie, Firenze anno 1731.

(7) Vid. Aul. Gell. lib. I. cap. 6.

(8) Vid. Val. Max. lib. II. cap. 9. Ex. 1. Plut. in vita Camilli principio; et Fest. in voce uxorium ibique Scalig.

(9) Vid. Nieupoort. l. l. Sect. II. cap. 9. pag. 130.

(10) Hoc docet Gundlingius tom. XVI. pag. 62.

vel ad vectigalia, vel ad opera publica locanda pertinerent: ut in sequentibus monstrabimus.

§ IV.

Cum ad censorum munus quoque cura pertineret vectigalium, multi sunt, qui putent, censores potestatem vectigalia instituendi habuisse; idque ex eo conjiciunt, quod apud Livium dicuntur censores portoria et multa vectigalia instituisse (1); et alio loco Livius Salinator dicitur novum vectigal ex salaria annona statuisse (2). Sed hæc loca ita intelligenda sunt, censores sua auctoritate et suasisse et effecisse, ut hæc vectigalia a Senatu instituerentur (3), penes quem, saltem tempore reipublicæ, hæc potestas erat (4). Censores itaque exercebant et locabant vectigalia, de qua locatione egregius Livii locus est in censura Catonis. Ait enim Livius « et vectigalia summis pretiis, ultro tributa infimis locaverunt, » quas locationes quum Senatus precibus et lachrymis publicanorum victus induci et de integro locari jussisset, censores edicto, submotis ab » hasta qui ludificati priorem locationem erant, omnia eadem paullo » imminutis pretiis locaverunt (5)." Quum autem censores vectigalia locare vellent, Romæ tabulas proponebant, in quibus inveniebantur conditiones, quibus locarent, quæ tabulæ censoriæ vel etiam leges censoriæ dicebantur. Sic apud Ciceronem (6) *lex censoria*, monente Ernesto, est formula, qua a censoribus vectigalia sunt locata publicanis, quæque et vectigalia, quæ locabantur, et conditiones, quibus locabantur, continebat (7). Hæc autem locatio fiebat in foro hasta posita, quo modo etiam aliarum rerum locationes censores peragebant (8): et quidem plerumque mense Martio, quum ex antiquo instituto hoc mense magistratus

(1) Vid. Livius lib. XL. cap. 51.
(2) Vid. Livius lib. XXIX. cap. 37.
(3) Vid. Pet. Burmann. Diss. de vectig. pop. Rom. cap. 7. pag. 97.
(4) Vid. Burmann. l. l. pag. 94. et seqq.
(5) Vid. Livius lib. XXXIX. cap. 44.
(6) Vid. Cic. de Provinc. consul. cap. 5. Cicer. Agrar. I. cap. 4. et Plin. lib. XVIII. cap. 3.
(7) Vid. Ernest. Clav. Cicer. in voce *leges censoriæ*.
(8) Vid. Livius lib. XXIV. cap. 18. lib. XLIII. cap. 16. et Cic. in Verr. III. cap. 6.

et honores auspicarentur (1). Omnium præterea vectigalium locatio, quæ in quinquennium fiebat (2), debebat Romæ fieri: quare Cicero « vecti» galia locare nusquam licet, nisi in hac urbe, hoc ex loco, hac vestrum » frequentia (3)." Hæc denique vectigalia à censoribus redimebant Equites Romani, qui *publicani* dicebantur, in societates quasdam divisi: quique tali societati præerat *magister societatis* appellabatur (4). Pecunia, quæ ex his vectigalibus comparabatur, a censoribus in ærarium deferebatur, et hinc censores apud Ciceronem dicuntur aliquam curam ærarii habuisse; cum ærarii cura proprie ad quæstores pertinuerit (5). Non plura addemus, cum hæc sufficiant ad scopum quæstionis nostræ, cumque de vectigalibus ex professo agant quatuor viri doctrina clari, nimirum Bulengerus, Burmannus, Bossius et Hegewischius (6).

§ V.

Censores quoque curabant loca publica et privata, ut sarta tecta manerent, id est, ut integra essent (7); præterea curabant, ne quis loca sacra vel publica occuparet, quandoquidem et potestatem habebant jubendi eum, qui in publico quodam loco aliquid ædificasset, hoc demoliri, mulctamque dicendi (8). Et cum Cicero ait « At in iis ædibus, quas » tu, Q. Sejo, Equite Romano, viro optimo, per te apertissime in» terfecto, tenes, sacellum dico fuisse et aras. Tabulis hoc censorum » memoria multorum firmabo ac docebo (9)," censores videntur loca

(1) Vid. Macrob. Saturn. lib. I. cap. 12.
(2) Vid. Cic. ad Atticum lib. VI. Epist. 2. et Varro de L. L. lib. V. pag. 46.
(3) Vid. Cic. Agrar. II. cap. 21. et Agrar. I. cap. 3.
(4) Vid. Cic. Epist. ad diversos lib. XIII. Epist. 9 et Epist. 65. et pro Lege Manilia cap. 7.
(5) Vid. Cic. de Leg. lib. III. cap. 3.
(6) Vid. Buleng. de vectig., Burman. l. l., Rud. Bosse Grundzüge des finanzwesens im Römischen state Brauusw. 1803. et D. H. Hegewisch Historischer Versuch über die Römische Finanzen. Altona 1804.
(7) Vid. Livius lib. IV. cap. 8.
(8) Vid. Livius lib. XLIII. cap. 16. et Val. Max. lib. VI. cap. 5.
(9) Vid. Cic. de harusp. resp. cap. 14.

8

sacra ac publica in tabulis annotasse; verum hæc loca non solum locabant mancipibus, verum etiam, si nova opera facienda essent, ea locabant (1); sic, ut unum exemplum afferam. C. Julius Bubulcus censor ædem Salutis locavit (2). — A censoribus quoque viæ publicæ tam intra urbem, quam extra urbem locabantur (3): quæ viæ sæpenumero nomen a censoribus, qui eas locarent, desumserunt. Sic via Flaminia a C. Flaminio, qui eam censor munivit, nomen tulit (4). Sic via, quam Appius Claudius censor stravit, Appia dicta est (5). Jus quoque habebant censores aquam concedendi civibus : nam cum omnia loca circa urbem Romam sicca essent, publicis impensis aquam e longinquis regionibus per canales perducebant censores, datoque vectigali concedebant civibus hujus aquæ partem haurire : cujus rei multa exempla apud Frontinum inveniuntur (6). Cum opus absolutum esset, quod censores vel reficiendum, vel exstruendum locaverant, examinabant, an confectum esset secundum leges a se præscriptas : qua in re duabus locutionibus utebantur veteres, nimirum *probare* et *approbare*. Censores enim dicebantur opera *probare*, quæ locarent, cum ea secundum leges confecta invenirent. Contra dicebantur redemtores *approbare*, cum demonstrarent omnia secundum formulam vel delineationem a se esse constructa (7). Quum autem ærarii cura ad censores non pertineret, ex eo nihil solvere poterant, nisi cum probatione Senatus, qui et pecuniæ summam definiebat, quam censores ad reficienda vel exstruenda opera impendere possent; quod egregie probatur ex loco Livii, ubi ait « Ad opera publica facienda, quum eis dimidium ex vec-
» tigalibus ejus anni attributum ex Senatus consulto a Quæstoribus esset;
» Tib. Sempronius ex ea pecunia, quæ ipsi attributa erat, ædes P. Afri-
» cani pone Veteres ad Vortumni signum, lanienasque et tabernas con-

---

(1) Vid. Livius lib. XXIV. cap. 18. lib. XXVII. cap. 11. Dian. Val. lib. III. cap. 67. et Ascon. Pedian. ad Cic. in Verr. I. cap. 50. et Fest. in voce *redemtores*.

(2) Vid. Livius lib. IX. cap. 43.

(3) Vid. Cic. de Leg. lib. III. cap. 3. et Livius l. c.

(4) Vid. Livius Epist. lib. XX.

(5) Vid. Livius lib. IX. cap. 29. et Marmor apud. Gruterum pag. 589. N° 4.

(6) Vid. Frontin. de aquæ-duct. lib. I. pag. 222 et 224.

(7) Vid. Drakenb. ad Liv. lib. IV. cap. 22.

» junctas in publicnm emit, basilicamque faciendam curavit, quæ postea » Sempronia appellata (1)." Sed et alia minora officia curabant censores: sic cibaria anserum, qui in Capitolio alebantur, locabant (2), et equos ad ludos circenses (3). — Ex his omnibus igitur appparet maximam fuisse potestatem censorum, qui omnes cives sic censebant, ut ex eorum censu omnium civium status, ordo, ætasque perciperetur; qui quemque dignum ordine Senatorio in Senatum legebant, quemque indignum eo movebant; qui Equites reliquosque cives secundum conditiones vel merita in classes dividebant; quibus denique omnium locorum tum publicorum tum privatorum cura incumbebat.

---

(1) Vid. Livius lib. XLIV. cap. 16. et Polyb. lib. VI. pag. 464. litt. C.

(2) Vid. Plin. lib. X. cap. 22. ibique inprimis Harduin., et Hotomann ad Cic. Orat. pro Sexto Roscio cap. 20.

(3) Vid. Livius lib. XXIV. cap. 18.

PARS SECUNDA.

FASTI CENSORII.

LUSTRUM I-IV.

In capite I, ubi de censu egimus, vidimus eum institutum esse a Servio Tullio, qui cives jussit jure jurando obstrictos apud se profiteri omnia sua bona, et simul nomina uxorum, liberorum, servorum, atque etiam domicilii locum indicare. Pro vario censu cives in varias descripsit classes et centurias : quo peracto, edixit, ut omnes adessent in Campo Martio, ibique exercitum lustravit sacrificio suovetaurilium, quod lustrum appellabatur (1). Omnes veteres auctores, qui hujus rei mentionem fecerunt, in eo conveniunt, Servium Tullium hujus rei auctorem fuisse; recentiores vero, qui de Fastis scripserunt, maxime dissentiunt in anno definiendo, quo censum instituit lustrumque condidit. Apud Goltzium enim legimus Servium Tullium primum censum egisse et lustrum condidisse anno urbis CLXXXVI, cui adsentitur Onuphrius Panvinius, qui hoc probare conatus est ex verbis Censorini (2), qui inter primum lus-

(1) Vid. Livius lib. I. cap. 42 et 44. Florus. lib. I. cap. 6. Eutrop. lib. I. cap. 7. Dion. Hal. lib. IV. cap. 15 et 22.

(2) Vid. Censorin. de Die Nat. cap. 18.

trum et lustrum septuagesimum quintum, quod a Vespasiano conditum est, tradit interfuisse annos plus minus DCXL, et quod ab anno CLXXXVI ad annum DCCCXXVI, quo Vespasianus lustrum condidit, intersint anni DCXL. Sed præterea hanc suam opinionem scribit Onuphrius confirmari Livii auctoritate, qui tradit Servium Tullium instituisse censum post victos Etruscos; et in tabulis Capitolinis secundum Servii Tullii de Etruscis triumphum anno CLXXXVI notatum esse. Præterea Valerius Maximus (1) narrat, quatuor lustra ab hoc rege esse condita. Primo itaque lustro cives censi sunt, si Livium (2) sequamur, millia octoginta; secundum Dionysium (3) octoginta quinque millia trecentis minus: secundum Eutropium (4) octoginta tria millia. De tribus reliquis lustris vero nihil a veteribus memoriæ proditum est. Verum cum quinto quoque anno lustrum condi soleret, singulo quinquennio hæc tria lustra annotaverunt Onuphrius, Pighius et Goltzius; adeo ut e ratione horum virorum lustrum secundum condiderit Servius Tullius anno urbis CXCII; tertium anno CXCVII; quartum anno CCII.

Conf. de hoc lustro Onuph. Panvinius Comment. in lib. I. Fastorum pag. 165 et seqq. Pighius Ann. Rom. tom. I. pag. 48. Goltzius Fast. Magistr. et Triumph. Rom. pag. 8. edit. Brugis Flandr. anno MDLXIII; et The Roman history from the Building of Rome to the Ruin of the Commonwealth. by N. Hooke, vol. VI. pag. 214. Lond. anno. 1818.

LUSTRUM V.

Hoc lustrum conditum est, consulibus P. Valerio Poplicola, T. Lucretio Tricipitino, anno urbis CCXLVI: quod probatur ex Dionysio, qui refert, his consulibus nihil memoratu dignum gestum esse præter censum, qui eo tempore habitus est; et hoc lustro censa esse puberum Romanorum centum triginta millia (5).

---

(1) Vid. Val. Max. lib. III. cap. 4. Ex. 5.
(2) Vid. Livius lib. I. cap. 44.
(3) Vid. Dion. Hal. lib. IV. cap. 22.
(4) Vid. Eutrop. lib. I. cap. 7.
(5) Vid. Dion. Hal. lib. V. cap. 20.

Quum autem, ut ex Livii verbis patet (1), Senatus, propter bellum Etruscum a Porsenna Clusinorum rege illatum Tarquiniorum reducendorum causâ, timeret, ut rursus reges in urbem reciperent Romani, inprimis, ut plebi placeret, annonæ curam habuit, et salis vectigal ademit: sed præterea portoriis et tributo plebem liberavit, ut hæc conferrentur a divitibus. Hoc autem Senatus callidum propositum nulla ratione melius perfici poterat, quam si census populi ageretur, et exemplo Servii Tullii quisque pro vario censu varium tributum penderet. Lustrum autem a consulibus conditum est, quibus post reges ejectos, uti reliquum munus regum, sic quoque jus agendi censum obtigisse, in cap. I. jam ostendimus. Cæterum hujus lustri vel census nulla mentio apud veteres invenitur: hoc autem lustrum quintum esse, patet non solum ex Valerio, qui ut vidimus, tradit Servium Tullium quatuor lustra condidisse, verum etiam e lustro octavo, quod in Fastis Capitolinis invenitur.

Conf. Sigon. l. l. Rom. pag. 16. Onuph. Panv. l. l. pag. 181. Pigh. l. l. pag. 73. Goltz. pag. 10., et Hooke l. l. pag. 215.

LUSTRUM VI.

Hoc lustrum conditum videtur anno urbis CCLII, Coss. Posthumo Cominio Aurunco, T. Lartio Flavo, et quidem, uti constat e Dionysio, a T. Lartio, qui primus Dictator creatus erat. Scribit enim Dionysius, eum statuisse, ut Romani suarum facultatum censum profiterentur, atque uxorum et liberorum nomina, et suam liberorumque ætatem: et eo lustro censa refert civium capita centum quinquaginta millia et septingenta præterea (2). Hujus census videtur mentionem fecisse Eusebius (3), cujus tamen annus et numerus civium non respondent ante dictis. Hujus lustri, uti multorum aliorum lustrorum, nulla mentio apud Livium reperitur, vel apud alios, adeo, ut nisi apud Dionysium quædam horum vestigia invenirentur, nullius census horum temporum cognitio ad nos pervenisset.

---

(1) Vid. Livius lib. II. cap. 9. ibique Interpr.
(2) Vid. Dion. Hal. lib. V. cap. 75. sub finem.
(3) Vid. Euseb. in Chron. ad. h. a.

Quamquam Dionysius quidem censum actum esse scribat, sed nullam lustri mentionem faciat, tamen conditum esse existimant Fastorum Editores, quod hic auctor sub census nomine aliquando lustrum comprehendisse videtur.

Conf. Sigon. pag. 21. Onuph. Panv. l. l. pag. 186. qui hoc lustrum anno CCLVI posuit. Pigh. l. l. pag. 80. Goltz. l. l. pag. 12. et Hooke pag. 216.

LUSTRUM VII.

Coss. Sp. Cassio Viscellino, Posthumo Cominio Aurunco anno CCLX hoc lustrum conditum est; hos consules enim censum egisse, et ab his censa fuisse civium capita centum et decem millia et amplius, scribit solus Dionysius (1), cum alii de hoc censu omnino taceant.

Conf. Sigon. pag. 24. Onuph. Panv. pag. 188. Pigh. pag. 90. Goltz. pag. 14. Hooke pag. 216.

LUSTRUM VIII.

Anno urbis CCLXXIX Coss. L. Furio Medullino, A. Manlio Volsone hoc lustrum conditum esse monstrant tabulæ Capitolinæ, quo censa sunt civium capita centum tria millia (2). Præter Dionysium hujus census nulla mentio apud veteres invenitur.

Conf. Sigon. pag. 28. Onuph. Panv. pag. 194. Pigh. pag. 113. Goltz. pag. 17. Hooke pag. 222.

LUSTRUM IX.

Hoc lustrum conditum est anno urbis CCLXXXVIII, Coss. Q. Fabio Vibulano, T. Quinctio Barbato Capitolino; et quidem a Quinctio Barbato consule, ut e Livio constat, qui his consulibus censum actum esse scribit, et lustrum conditum a Quinctio, censaque civium capita centum

---

(1) Vid. Dion. Hal. lib. VI. cap. 96. in fine.
(2) Vid. Dion. Hal. lib. IX. cap. 36.

quatuor millia et ducenta quatuordecim, præter orbos orbasque (1). Nonum autem hoc lustrum esse probant viri docti, quod et proxime superius lustrum octavum notatum est in tabulis Capitolinis, et proximum, quod sequitur, Livius decimum esse scribit. Hujus census vel lustri neque apud Dionysium, neque apud alios ullam mentionem reperimus.

Conf. Sigon. pag. 30. Onuph. Panv. pag. 195. Pigh. pag. 121. Goltz. pag. 18. Hooke pag. 225.

LUSTRUM X.

Anno urbis CCXCIV hoc lustrum conditum est Coss. Q. Fabio Vibulano, L. Cornelio Maluginensi, cum census jam anno superiore esset actus, et lustrum condere religiosum esset, quod Capitolium captum erat, et consul occisus. Hoc lustro censa sunt civium capita centum septemdecim millia trecenta novemdecim, uti constat e Livio (2). Hujus census etiam meminit Eutropius (3), licet numerus civium apud Eutropium non convenit cum civium numero apud Livium; quam difficultatem plane eruerunt viri docti, inprimis Drakenborchius (4). Dionysius quoque confirmat ab his consulibus censum esse actum, cum scribat : *οὐδεμιᾶς τιμήσεως ἐντὸς ἕπτα καὶ δέκα ἐτῶν γενομένης ἀπὸ τῆς Λευκίου Κορνηλίου καὶ Κοίντου Φαβίου ὑπατείας* (5). Et cum Livius hoc lustrum decimum esse scribat, apparet ante hoc novem lustra esse condita; quod igitur cum iis convenit, quæ supra diximus.

Conf. Sigon. pag. 32. Onuph. Panv. pag. 196. Pigh. pag. 127. Goltz. pag. 19. Hooke pag. 227.

---

(1) Vid. Livius lib. III. cap. 3. ibique Drakenb.

(2) Vid. Livius lib. III. cap. 22 et 24.

(3) Vid. Eutrop. lib. I. cap. 16. ibique Verheyk.

(4) Cum unus Eutropii Leidensis et duo Oxonienses Codices numerum talem præbeant, qualis apud Livium legitur, et Pæonius Græcus Eutropii Metaphrastes ita habeat « *καὶ συνηριθμήθη* » *πλῆθος ἀνδρῶν ἑκατὸν δέκα καὶ ἕπτα χιλιάδες, καὶ τριακόσιοι, καὶ δέκα, καὶ ἐννέα*" in Eutropio hanc lectionem recipiendam esse existimat Drakenborchius ad Liv. lib. III. cap. 24.

(5) Vid. Dion. Hal. lib. XI. cap. 63.

LUSTRUM XI.

Hoc lustrum conditum est anno urbis CCCX a primis censoribus, L. Papirio Mugillano, L. Sempronio Atratino. Nam consules, cum ipsi diutius censum agere non possent, legem tulerunt, ut proprius censui agendo magistratus crearetur. Quæ lex cum accepta esset, peculiaris huic rei magistratus creatus est, qui censores dicebantur. Cum autem in prima hujus Commentationis parte jam ostendimus, quid fuerit censura apud Romanos, et quæ hujus magistratus munera, non necesse videtur hæc omnia hoc loco repetere, sed potius ipsa verba Livii afferre, quæ rem egregie exponunt. « Idem hic annus, inquit, censuræ initium fuit, rei » a parva origine ortæ: quæ deinde tanto incremento aucta est, ut mo- » rum disciplinæque Romanæ penes eam regimen, Senatus, Equitumque » centuriæ, decorisque discrimen sub ditione ejus magistratus, pu- » blicorum jus privatorumque locorum, vectigalia populi Romani sub » nutu atque arbitrio essent. Ortum autem initium rei est, quod in populo » per multos annos incenso, neque differri census poterat, neque consu- » libus, quum tot populorum bella imminerent, operæ erat, id negotium » agere. — Quum a primoribus civitatis spretus honor esset, Papirium » Semproniumque, quorum de consulatu dubitabatur, ut eo magistratu » parum solidum consulatum explerent, censui agendo populus suffragiis » præfecit. Censores a re appellati sunt (1).” Hujus facti quoque Dionysius meminit, qui scribit, hac de re consules ad Senatum retulisse, eumque docuisse, censum, qui per 17 annos jam neglectus erat, maxime necessarium esse, quod ex eo cognoscebatur et numerus eorum, qui militare possent, et facultates, pro quarum modo unusquisque tributa conferre deberet (2). Quid autem hi censores muneris sui ratione fecerint, e veteribus non constat, cum, præter Ciceronem (3), nullus horum ne mentionem quidem faciat. Hoc tempore lustrum undecimum esse conditum, cum neque Livius, neque alii hoc referunt, probant viri docti e ratione tabularum Capitolinarum.

(1) Vid. Livius lib. IV. cap. 8,
(2) Vid. Dion. Hal. lib. XI. cap. 63.
(3) Vid. Cic. Epist. ad Divers. lib. IX. Epist 21.

Conf. Sigon. pag. 38. Onuph. Panv. pag. 202. Pigh. pag. 163. Goltz. pag. 24. et Hooke pag. 233; qui omnes, præter Onuphrium, anno CCCX primos censores creatos esse referunt.

LUSTRUM XII.

Anno urbis CCCXVIII a censoribus C. Furio Pacilo Fuso, M. Geganio Macerino hoc lustrum conditum est. Hi censores villam publicam in Campo Martio probaverunt, ubi primus census actus est, uti constat e Livio (1). Præterea Mamercum Aemilium Dictatorem tribu moverunt, et censu octuplicato ærarium fecerunt. Nimirum ei infensi erant, quod legem tulerat, qua sancitum erat, censuram, quæ antea quinquennalis erat, esse annuam et semestrem (2); id est, censores quidem quolibet quinquennio creari, sed eos censuræ honorem non nisi per annum et sex menses obtinere (ut multis probavimus cap. II). Et his ambobus censoribus legem Aemiliam latam esse, potest ex alio loco Livii probari, ubi P. Sempronius Tribunus plebis dicit Appio Claudio, qui censor, circumactis decem et octo mensibus, se de magistratu non abdicaverat; « Dic, agedum, » Appi Claudi, quidnam facturus fueris, si eo tempore, quo C. Furius » et M. Geganius censores fuerunt, censor fuisses (3)? " id est, si eo tempore censuram gessisses, quo lex Aemilia lata est.

Conf. Sigon. pag. 41. Onuph. Panv. pag. 207. Pigh. pag. 177. Goltz. pag. 26. et Hooke pag. 237.

LUSTRUM XIII.

Hoc lustrum conditum esse anno urbis CCCXXIX legitur apud Onuphrium et Sigonium, qui censorum nomina non addiderunt, cum usque ad annum CCCLI, quo censores Posthumius Albinus et Furius Camillus lustrum decimum sextum condiderunt, uti constat e tabulis Capitolinis, nulli censores apud Livium aliosque memorentur. Pighius contra lustrum esse conditum scribit a censoribus L. Julio Julo, L. Papirio

(1) Vid. Livius lib. IV. cap. 22. ibique Drakenb.
(2) Vid. Livius lib. IV. 24.
(3) Vid. Livius lib. IX. cap. 33.

Crasso; qui tamen addit, se ex verisimili conjectura hos censores suis locis annotasse, cujus conjecturam Hookius confirmat. Fatendum tamen est, quidquid quæsivimus, nullum factum neque L. Julii neque L. Papirii Crassi a veteribus memoratum invenimus, quod ratione muneris censorii fecerint.

Conf. Sigon. pag. 44. Onuph. Panv. pag. 209. Pigh. pag. 188. Goltz. pag. 26. Hooke pag. 242.

LUSTRUM XIV.

Hoc lustrum anno urbis CCCXXXV conditum videtur a censoribus L. Papirio Mugillano, Mam. Aemilio Mamercino; cujus prioris censoris nomen exstat in fragmento Capitolino; Aemilium Mamercinum hoc condidisse conjecerunt Onuphrius et Pighius, quod Hookius confirmat. Hujus lustri, vel horum censorum nulla mentio apud veteres reperitur. Hoc tamen tempore lustrum esse conditum putant viri docti e ratione lustri decimi sexti.

Conf. Onuph. Panv. pag. 210. Pigh. pag. 195. Hooke pag. 245.

LUSTRUM XV.

De hoc lustro, vel censoribus, qui illud condiderint, nihil certi tradi potest. Conditum tamen hoc esse anno urbis CCCXLI a L. Sergio Fidenate conjicit Pighius.

Conf. Pigh. pag. 200. Hooke pag. 248.

LUSTRUM XVI.

Anno Urbis CCCL hoc lustrum conditum videtur a censoribus M. Furio Camillo, M. Posthumio Albino Regillensi; in fragmento Capitolino enim M. Posthumii nomen integrum servatum est, hoc modo: Posthumius L. F. A. N. Albinus Regillensis L. F. XVI. Posthumio itaque adjunxerunt viri docti collegam M. Furium Camillum; quæ conjectura propterea probabilis videtur, quod Camillus censor idem constituisse narratur a Plutarcho,

quod Valerius Maximus Camillum et Posthumium instituisse tradit (1). Camillus autem plurimum Reipublicæ consuluit cum propter assidua bella vectigali subjecerit pupillos, qui ante immunes fuerant (2). Cæterum apud veteres horum censorum nulla exstat memoria.

Conf. Sigon. pag. 49. Onuphr. Panv. pag. 312. Pigh. pag. 209. Goltz. pag. 34. Hooke pag. 253. et Opus Chronologicum Sethi Calvisii pag. 113. Column. 2. in fine.

LUSTRUM XVII.

Hoc lustrum anno CCCLV esse conditum a censoribus C. Valerio Potito Voluso, M. Aemilio Mamercino existimant Fastorum Editores ex ordine fragmentorum Capitolinorum; quamquam neque hujus lustri, neque horum censorum ullam mentionem invenimus, aut in tabulis Capitolinis, aut apud veteres auctores; neque ullo loco legitur, hos hoc vel illud perfecisse, quod ratione muneris censorum egisse concludere possimus.

Conf. Pigh. pag. 215. Hooke pag. 256.

LUSTRUM XVIII.

Cum Dionysius scribit, anno ante urbem a Gallis captam secundo lustrum esse conditum, et Roma capta est anno urbis CCCLXIII, hoc lustrum decimum octavum anno urbis CCCLXI esse conditum putatur. Censores fuerunt C. Julius et L. Papirius Cursor, in cujus prioris locum, cum in magistratu mortuus esset, creatus est M. Cornelius Maluginensis, quod conficitur ex Livio, qui refert C. Julium censorem decessisse, et in ejus locum M. Cornelium suffectum, et mox addit « quæ res postea » religioni fuit, quia eo lustro Roma est capta, nec deinde umquam » in demortui locum censor sufficitur (3)." Et hoc tempore hos censores fuisse, ex alio loco Livii egregie potest probari, ubi P. Sempronius Tribunus plebis dicit in oratione contra Appium Claudium « urbs eo » lustro capta est, quo, demortuo colllega C. Julio censore, L. Papirius

(1) Vid. Plut. in vita Camilli cap. 2. Val. Max. lib. II. cap. 9. Ex. 1.

(2) Vid. Plut. l. c. et Drakenb. ad. Liv. lib. V. cap. 1.

(3) Vid. Livius lib. V. cap. 31.

» Cursor, ne abiret magistratu, M. Cornelium Maluginensem collegam » subrogavit (1).” Plutarchus quoque hoc tempore C. Julium esse mortuum scribit, cum dicit: *πρῶτον μὲν οὖν ἔδοξε σημεῖον γεγονέναι κακοῦ μεγάλου προσιόντος, ἡ Ἰουλίου τοῦ τιμητοῦ τελευτή* (2). Hujus lustri etiam meminit Plinius, qui refert censa esse capita liberorum centum quinquaginta duo millia, quingenta et octoginta (3). Cum, ut vidimus, eo lustro Roma capta est a Gallis, ab hoc tempore statutum est, ut, uno mortuo censore, superstes se magistratu abdicaret.

Conf. Sigon. pag. 52. Onuph. pag. 214. Pigh. pag. 222. Goltz. pag. 37. Hooke pag. 259.

Sigonius, quem secutus Onuphrius Panvinius, hæc ad lustrum XVII et annum CCCLXII scripserunt: cum contra lustrum XVIII anno CCCLXVI esse conditum existimant; præcipue hanc ob causam, quod Livius hoc anno quatuor tribus cæteris adjectas esse tradit, propter novos cives additos (4): cumque tribus non nisi a censoribus vel lustri tempore adderentur; censorum nomina tamen non addiderunt.

Anno urbis CCCLXXIV censores fuerunt C. Sulpitius Camerinus et Sp. Posthumius Albus Regillensis. C. Sulpitius autem ob mortem collegæ Posthumii se magistratu abdicavit. Itaque alii censores creati sunt: qui tamen, cum vitio creati essent, magistratum non gesserunt. Eorum autem censorum, qui secundo loco creati sunt, nulla exstat memoria. Tertii non creati sunt « scilicet Diis hoc anno non accipientibus censuram (5).” Pighius conjicit secundo loco creatos fuisse censores Serv. Sulpitium Rufum et L. Furium Medullinum.

---

(1) Vid. Livius li4. IX. cap. 34.

(2) Vid. Plut. in vita Camilli cap. 14: Antiquitus legebatur Ἰουλίου μηνὸς ἡ τοῦ τιμητοῦ τελευτή. Ita ut verteretur: censorem ingrediente mense Julio decessisse: sed Xylander hoc loco jam hæsit, et Reiskius docet, hic non *mensis*, sed censoris nomen notari, qui fuit C. Julius, et putat μηνὸς interpretatoris cujuspiam interpretamentum esse, qui nil nisi mensem Julium cogitabat, atque ita hanc vocem textum invasisse: adeo ut legendum sit, Ἰουλίου τοῦ τιμητοῦ τελευτή. Vid. Reiske ad Plut. l. l.

(3) Vid. Plin. lib. XXXIII. cap. 1.

(4) Vid. Livius lib. VI. cap. 5. ibique Drakenb.

(5) Vid. Livius lib. VI. cap. 27.

Conf. Sigon. pag. 56. Onuphr. pag. 217. Pigh. 239. Goltz. pag. 41. Hooke pag. 267.

LUSTRUM XIX.

Hoc lustrum conditum est anno urbis CCCLXXVI a censoribus Sp. Servilio Prisco, Q. Clælio Siculo. Hi censores creati sunt æris alieni noscendi gratia, sed bello impediti sunt, ne rem peragerent (1). Postea tamen, cum res magis quietæ essent, tributum auctum est, cum hi censores murum saxo quadrato faciendum locassent (2). Cæterum auctores nihil memoriæ tradiderunt, quod hi memoratu dignum perfecerint. Quamquam nec Livius, nec alii, lustrum ab his conditum fuisse tradunt, tamen factum putant viri docti, quod hoc lustrum lustro vigesimo respondeat, quod non longe post in tabulis Capitolinis notatum est.

Conf. Sigon. pag. 57. Onuphr. Panv. pag. 218. Pigh. pag. 242. Goltz. pag. 42. Hooke pag. 268.

Ad annum CCCLXXXVIII præbet fragmentum Capitolinum nomina censorum A. Posthumii Regillensis Albini, et C. Sulpitii Petici. Horum censorum nulla mentio invenitur apud Livium, qui tamen anno proxime sequente tradit censorem peste mortuum esse (3). Propter hanc unius censoris mortem existimant viri docti hoc tempore lustrum non esse conditum, cujus quoque in tabulis Capitolinis nulla mentio invenitur.

Conf. Sigon. pag. 61. Onuph. Panv. pag. 223. Pigh. pag. 262. Goltz. pag. 46.

LUSTRUM XX.

Hoc lustrum conditum esse anno CCCXC a censoribus M. Fabio Ambusto, L. Furio Medullino, ostendunt tabulæ Capitolinæ. Livius de his ne verbum quidem facit, et apud alios nihil memoratum invenimus, quod hi censores ratione sui muneris fecisse dici possint.

Conf. Sigon. pag. 61. Onuph. Panv. pag. 224. Pigh. pag. 274. Goltz. pag. 46. Hooke pag. 276.

---

(1) Vid. Livius lib. VI. cap. 31.
(2) Vid. Livius lib. VI. cap. 32.
(3) Vid. Livius lib. VII. cap. 1. ibique Drakenb.

LUSTRUM XXI.

Hoc lustrum anno urbis CCCXCVI esse conditum existimant Sigonius et Onuphrius, quod Livius hoc anno scribit antiquis tribubus duas tribus Pontinam et Pobliliam esse adjectas (1). Cumque nemo alius, nisi censores, tribus novas antiquis addere posset, conjiciunt, unum ex his fuisse M. Fabium Ambustum; alterius censoris ne divinando quidem nomen se assequi potuisse fatentur. E Fastis apud Goltzium contra apparet, hoc anno quidem censores fuisse, licet eorum nomina deperdita sint, sed eos non lustrum condidisse.

Conf. Sigon. pag. 64. Onuphr. pag. 225. Goltz. pag. 48.

LUSTRUM XXI.

Hoc lustrum conditum est anno urbis CDII a censoribus Cn. Manlio Capitolino Imperioso, C. Martio Rutilo. Hic primus e plebe censor factus est, cum antea semper patricii hunc magistratum gessissent. « Ita, » inquit Livius, posita duorum bellorum, quæ imminebant, cura, dum » aliqua ab armis quies esset, quia solutio æris alieni multarum rerum » mutaverat dominos, censum agi placuit. Cæterum, quum censoribus » creandis indicta comitia essent, professus censuram se petere C. Mar- » cius Rutilus, qui primus Dictator de plebe fuerat, concordiam ordi- » num turbavit. Quod videbatur quidem tempore alieno fecisse; quia » ambo tum forte patricii consules erant, qui rationem ejus se habituros » negabant. Sed et ipse constantia inceptum obtinuit, et Tribuni, omni » vi recuperando jus consularibus comitiis amissum, adjuverunt: et quum » ipsius viri majestas nullius honoris fastigium non æquabat, tum per » eundem, qui ad Dictaturam aperuisset viam, censuram quoque in par- » tem vocari plebis volebat. Nec variatum comitiis est, quin cum Manlio » Cnæo censor Marcius crearetur (2)." Hujus census quoque meminit

(1) Vid. Livius lib. VII. cap. 15.
(2) Vid. Livius lib. VII. cap. 22.

Eutropius (1), a quo confirmatur, hos censores censum egisse; nam Livius quidem de delectu horum censorum agit, sed de censu acto tacet.

Conf. Sigon. pag. 66. Onuphr. pag. 226. Pigh. pag. 291. Goltz. pag. 51. et Hooke pag. 283., quorum priores hoc ad lustrum vigesimum secundum scripserunt.

LUSTRUM XXII.

Hoc lustrum anno urbis CDX esse conditum, docent viri docti, cum ex fragmento Capitolino, quod ostendit anno urbis CDXXXVI lustrum XXV, ut dein videbimus, constat, aliquot horum temporum lustra deesse: et quidem hoc anno lustrum vigesimum secundum conditum esse putant, quod Eusebius (2) referat, anno primo Olympiadis centesimæ decimæ descriptionem Romæ factam fuisse, qua inventa sint capita civium centum sexaginta millia. Quæ omnia de hoc lustro intelligi debent, quod Diodoro Siculo (3) auctore, Coss. M. Valerio Corvo, A. Cornelio Cosso Arvina, (quos hoc anno consules fuisse constat), Olympias centesima decima incipiat. Nomina censorum, qui hoc lustrum condiderint, a nemine veterum traduntur: quare conjicit Pighius, hoc tempore illos fuisse, M. Fabium Ambustum et M. Popilium Lenatem: quam conjecturam e veteribus non confirmare possumus.

Conf. Sigon. pag. 67. Onuph. Panv. pag. 229. Pigh. pag. 303. Goltz. pag. 54. et Hooke pag. 288.

LUSTRUM XXIII.

Hoc lustrum conditum est anno urbis CDXXI a censoribus Q. Publilio Philone, Sp. Posthumio Albino. Hi censores ambo fuerunt consulares, qui censum egerunt propter novos cives in civitatem receptos, et reliquis tribubus duas novas addiderunt, Mætiam et Scaptiam. Acerranis enim civitas Romana data erat sine suffragio, uti constat e Livio (4). Sigonius (5)

(1) Vid. Eutrop. lib. II. cap. 6. ibique inprimis Verheyk.
(2) Vid. Euseb. in Chron. ad. h. a.
(3) Vid. Diod. Sic. p. 319
(4) Vid. Livius lib. VIII. cap. 17.
(5) Vid. Vid. Sigon. de Ant. jure Ital. cap. 9.

contra existimat, iis suffragium concessum esse, cum Vellejus Paterculus eos, censoribus Sp. Posthumio et Philone Publilio, in civitatem receptos dicat (1); cumque constet, censores novos cives, qui civitatem cum suffragio acceperant, in censum et tribum retulisse. Ab his censoribus M. Fabius Ambustus Princeps Senatus lectus est, quod docent viri docti e verbis Plinii « reperitur una Curionum familia, in qua tres continua serie » oratores exstiterunt; una Fabiorum, in qua tres continui Principes Se- » natus, M. Fabius Ambustus, M. Fabius Rullianus filius, Q. Fabius » Gurges nepos (2)." Lustrum hoc tempore esse conditum e ratione lustrorum in fragmento Capitolino editorum probant viri docti, quamquam hujus lustri horumque censorum nulla mentio invenitur.

Conf. Sigon. pag. 73. Onuph. Panv. pag. 231. Pigh. pag. 332. Goltz. pag. 58. Hooke pag. 295.

LUSTRUM XXIV.

Anno urbis CDXXIX hoc lustrum conditum esse existimat Pighius, quandoquidem sequens XXV lustrum in tabulis Capitolinis invenitur quinquennio post. Censores autem, qui hoc condiderint, conjicit fuisse M. Valerium Corvum et C. Poetelium Libonem Visolum.

Conf. Pigh. pag. 343. Goltz. pag. 61. Hooke pag. 299.

Anno CDXXXIV censores fuisse, confici potest ex fragmento Capitolino, e quo etiam patet, lustrum non conditum esse, quod sequenti anno Capitolina fragmenta alios ostendunt censores, qui lustrum vigesimum quintum condiderunt. Horum alter fuit C. Sulpitius Longus, uti in fragmento Capitolino se invenisse testatur Onuphrius; alter fuit, e conjectura Pighii, C. Plautius Decianus.

Conf. Sigon. pag. 78. Onuph. Panv. pag. 236. Pigh. pag. 352.

---

(1) Vid. Vell. Paterc. lib. I. cap. 14. Ubi præpositionem *a* ab aliena manu venisse censet Ruhnkenius, quod satis constet non censores, sed populum, civitatem dedisse; conf. a Duker. ad Liv. lib. VIII. cap. 17.

(2) Vid. Plin. lib. VII. cap. 41.

LUSTRUM XXV.

Censoribus L. Papirio Crasso, C. Mænio anno urbis CDXXXV esse conditum hoc lustrum ostendunt tabulæ Capitolinæ. Livius de his nihil tradit, sed in narranda historia hujus temporis refert, cæteris tribubus duas additas esse, Ofentinam et Phalerinam (1). Hoc autem plerumque per censores fieri, modo vidimus. Mænii censoris quoque meminisse videtur Festus, scribens « Mæniana ædificia a Mænio sunt appellata : is » enim primus ultra columnas extendit tigna, quo ampliarentur supe- » riora (2)."

Conf. Sigon. pag. 78. Onuphr. Panv. pag. 236. Pigh. pag. 354. Goltz. pag. 64. Hooke pag. 303.

LUSTRUM XXVI.

Hoc lustrum conditum est anno urbis CDXLI, Censoribus Appio Claudio Cæco, C. Plautio Venoce, uti constat e Livio (3) et fragmento Capitolino. Frontinus autem (4) Appii Claudii collegam fuisse Fabius, et Diodorus (5) L. Claudium narrant. Omnes tamen Livium hac in causa sequuntur, quod cum Capitolino fragmento convenit. C. Plautius Appii collega se magistratu abdicavit, « ob infamem, ut inquit Livius, atque » invidiosam Senatus lectionem verecundia victus (6)." Appius Claudius autem Senatum ita legit, ut in eum ordinem libertorum filios adscisceret ac potiores præteriret, adeo ut consules C. Julius Bubulcus et Q. Aemilius Barbula negaverint, se observaturos esse eam lectionem, « quæ » sine recti pravique discrimine ad gratiam ac libidinem facta esset," et Senatum citaverint eo ordine, quo ante hos censores fuerat (7). Hujus Appii Claudii facti mentio quoque fit alio loco, ubi Livius dicit « cete-

(1) Vid. Livius lib. IX. cap. 20. Harum quoque meminit Diod. Sic. lib. XIX. pag. 675.
(2) Vid. Fest. in voce *Mæniana*.
(3) Vid. Livius lib. IX. cap. 29.
(4) Vid. Frontin. de Aquæduct. lib. I. in principio.
(5) Vid. Diod. Sic. lib. XX. pag. 750.
(6) Vid. Livius l. c.
(7) Vid. Livius lib. IX. cap. 30.

» rum Flavium dixerat Aedilem forensis factio. App. Claudii censura » vires nacta, qui Senatum primus libertinorum filiis lectis inquinaverat, » et postquam eam lectionem nemo ratam habuit, nec in curia adeptus » erat, quas petierat opes urbanas; humilibus per omnes tribus divisis » forum et Campum corrupit (1)." Ex quo loco patet, Appium Claudium etiam libertinos, qui ex instituto Servii Tullii in quatuor tribubus Urbanis erant, per omnes tribus dispersisse (2). Præterea Claudius censor viam stravit lapidibus usque *Capuam*, quæ ab eo Appia dicta est (3); et aquam Anienem in urbem induxit, quæ Claudia nominabatur (4). Hæc autem opera, ut se censore absolverentur, collegam C. Plautium, qui ex lege Aemilia intra annum et sex menses se magistratu abdicaverat, decepit tanquam idem facturus (5), et ita horum operum honos Appio soli fuit. Nam per totum quinquennium censuræ honorem solus obtinuit: unde illa apud Livium P. Sempronii Tribuni plebis oratio contra Appium (6). Denique Frontinus Plautium *Venocem* in hoc honore appellatum esse scribit ab indagandis aquarum venis (7). Nemo veterum vero lustrum ab his conditum fuisse tradit, quod tamen conditum, priusquam se magistratu abdicasset Plautius, ex fragmento Capitolino apparet.

Conf. Sigon. pag. 80. Onuph. Panv. pag. 237. Pigh. pag. 362. Goltz. pag. 37. Hooke pag. 307.

LUSTRUM XXVII.

Anno urbis CDXLVI hoc lustrum conditum est, censoribus M. Valerio Maximo, C. Junio Bubulco Bruto. De censu vel lustro hujus anni

---

(1) Vid. Livius lib. IX. cap. 46. Conf. Aur. Vict. de Vir. Illust. cap. 34.

(2) Vid. Sigon. de Ant. jure civ. Rom. lib. I. cap. 3. et lib. II. cap. 14.

(3) Vid. Livius lib. IX. cap. 29. Aur. Vict. cap. 34. Eutrop. lib. II. cap. 9. et Frontin. de Aquæduct. pag. 159. edit. Bipont.

(4) Vid. Livius l. c. Aur. Vict. l. c. Cic. in Bruto cap. 14. Diod. Sic. lib. XX. pag. 773. et seq. Festus in voce Appia.

(5) Vid. Frontin. pag. 159. inque eum Comment. pag. 213.

(6) Vid. Livius lib. IX. cap. 33 et 34.

(7) Vid. Frontin. l. c.

nihil tradit Livius; e quo tamen constat, C. Junium censorem Salutis ædem locasse, quam consul foverat bello Samnitium, ab eodemque cum collega M. Valerio Maximo vias per agros publicis impensis factas esse (1). Hi censores quoque L. Antonium Senatu moverunt, quod virginem repudiasset, quam in matrimonium duxerat, nullo amicorum consilio (2).

Conf. Sigon. pag. 81. Onuph. Panv. pag. 238. Pigh. pag. 372. Goltz. pag. 69. Hooke pag. 310.

LUSTRUM XXVIII.

Censores Q. Fabius Rullianus, P. Decius Mus hoc lustrum anno urbis CDXLIX condiderunt. Q. Fabius cum censor factus esset, locupletes nonnullos libertinæ stirpis in Senatum lectos ex eo ordine movit (3), et ne in manu humillimorum comitia essent, omnem forensem turbam, quam App. Claudius censor per omnes tribus disperserat, excretam in quatuor tribus urbanas conjecit, in quibus antea ex instituto Servii Tullii fuerant (4). Hic quoque instituit, ut Equites Idibus Quinctilibus transveherentur (5), id est, ut Equites suis equis insidentes transveherentur, et suum equum adducerent ad censores in sella curuli sedentes, et de stipendiis legitimis interrogati rationem iis redderent (6): adeo ut in hoc magistratu nomen Magni adeptus sit (7). Ab his censoribus lustrum conditum esse, docent viri docti ex marmore Capitolino.

Conf. Sigon. pag. 83. Onuph. Panv. pag. 238. Pigh. pag. 377. Goltz. pag. 70. Hooke pag. 312.

LUSTRUM XXIX.

Hoc lustrum a censoribus P. Sempronio Sopho, P. Sulpicio Saverrione

---

(1) Vid. Livius lib. IX. cap. 43. in fine.
(2) Vid. Val. Max. lib. II. cap. 9. Ex. 2.
(3) Vid. Plut. in vita Pompej. cap. 14.
(4) Vid. Livius lib. IX. cap. 46. Aurel Vict. cap. 32.
(5) Vid. Livius l. c. Val. Max. lib. II. cap. 2. in fine. Aurel. Vict. l. c.
(6) Vid. Duker. ad. Liv. l. c. ibique loci citati.
(7) Vid. Livius l. c. Val. Max. l. c. et Plut. in vita Pomp. cap. 14.

conditum est anno urbis CDLIV, qui antiquis tribubus duas addiderunt, Aniensem et Terentinam (1). Pighius ex verbis Plinii (2) colligit, Principem Senatus hoc tempore fuisse Q. Fabium Maximum Rullianum, qui ante censor fuerat. De his nihil memoriæ a veteribus proditum est.

Conf. Sigon. pag. 86. Onuphr. Panv. pag. 240. Pigh. pag. 585. Goltz. pag. 72. et Hooke pag. 315.

LUSTRUM XXX.

Anno urbis CDLIX censores P. Cornelius Arvina, C. Marcius Rutilus hoc lustrum condiderunt, uti constat ex fragmento Capitolino et Livio. Apud Livium vero legitur « censores vicesimi sexti a primis censoribus : » lustrum undevicesimum fuit (3);" adeo ut appareat, quod in Capitolinis tabulis lustrum trigesimum est, apud Livium esse undevicesimum. Existimat Sigonius hujus dissensus causam esse, quod Livius decem lustra ante censores creatos acta præterire videtur, et probat, numerum hunc ipsum censorum Livii negligentiam arguere, cum hæc summa non confici possit, si censores, qui ab eo supra editi sunt, simul sumantur (4): quam sententiam confirmat Pighius. Hoc lustro censa esse civium capita millia ducenta sexaginta duo et trecenta viginti duo Livius docet (5) Eusebius vero ducenta septuaginta millia censa esse tradit (6). Hoc lustro Principem Senatus fuisse lectum Q. Fabium Maximum Rullianum docet Pighius e Plinio (7).

Conf. Sigon. pag. 87. Onuph. Panv. pag. 240. Pigh. pag. 595. Goltz. pag. 73. Hooke pag. 318.

LUSTRUM XXXI.

Hoc lustrum anno urbis CDLXIV esse conditum, docet Pighius, quod

(1) Vid. Livius lib. X. cap. 9.
(2) Vid. Plin. lib. VII. cap. 41.
(3) Vid. Livius lib. X. cap. 47.
(4) Vid. Sigon. ad Liv. l. c.
(5) Vid. Livius l. c.
(6) Vid. Euseb. in Chron. ad h. a.
(7) Vid. Plin. lib. VII. cap. 41.

conjicit ex verbis Livii « censu acto lustrum conditum; censa sunt civium » capita CCLXXII millia (1)." Censores qui hoc lustrum condiderint, cum non e veteribus constet, subjunxit Pighius duos consulares, nimirum M. Aemilium Paullum, L. Volumnium Flammam Violentem. Hujus opinionem confirmavit Hookius. Contra Sigonius et Onuphrius existimant hoc lustrum conditum esse anno urbis CDLXVI a censoribus M. Curio, L. Papirio. Hanc autem suam opinionem probare conati sunt e verbis Frontini « post annos XXXX, quam Appia perducta est, anno ab urbe » condita CDLXXXI, M. Curius Dentatus, qui censuram cum L. Papirio » cursore gessit, Anionis qui nunc dicitur vetus, aquam perducendam in » urbem ex manubiis de Pyrrho captis locavit, Sp. Carvilio, L. Papirio » Coss. iterum (2):" quorum verborum sensum ita explicant, ut dicant, Curium, Carvillio et Papirio Coss., aquam ex manubiis Pyrrhi fortasse duumvirum perduxisse, cum multo ante cum L. Papirio censor fuisset. Sequentia enim verba Frontini, Curium etiam duumvirum fuisse, monstrant. « Nam, ajunt, si in eum consulatum hos censores rejiciamus, L. » Papirium consulem et censorem eodem anno faciemus." Pighius contra hos censores lustrum condidisse anno, qui apud Frontinum invenitur, existimat : sed de his dein videbimus. Censorum vero, qui secundum Pighium hoc lustrum condiderunt, nulla apud veteres exstat memoria.

Conf. Sigon. pag. 92. Onuph. Panv. pag. 241. Pigh. pag. 405. Hooke pag. 321.

Anno urbis CDLXXII censores fuisse ratione quinquennii adducti conjiciunt Sigonius et Onuphrius. Fatentur tamen se de his nihil certi afferre posse: unum tamen ex his fuisse putant Sp. Carvilium Maximum, quod Vellejus Paterculus eum quoque ad censuram a populo Romano esse evectum tradit (3). Qualis vero huic conjecturæ locus dandus sit, aliis dijudicandum relinquimus.

---

(1) Vid. Livius Epit. lib. XI.
(2) Vid. Frontin. pag. 160.
(3) Vid. Vell. Paterc. lib. II. cap. 128. § 2.

LUSTRUM XXXII.

Hoc lustrum conditum videtur anno urbis CDLXXIII a censoribus Cn. Domitio Calvino, Q. Fabio Maximo Gurgite. Legitur enim in Epitome historiæ Livianæ : « Cn. Domitius censor primus e plebe lustrum condi- » dit. Censa sunt civium capita ducenta septuaginta octo millia, ducenta » viginti duo (1):" adeo ut appareat, alterius censoris nomen rursus obscurum esse : quare Onuphrius huic adjecit collegam Q. Fabium Gurgitem, existimans hanc conjecturam confirmari ex eo, quod hujus pater quoque censor descriptus fuerit in tabulis Capitolinis, et a Livio : quam opinionem probabilem esse et Pighius fatetur, quod Plinius (2) Q. Fabium Gurgitem Principem Senatus fuisse tradit, cumque hoc tempore non nisi ex censoriis Senatus Principes legebantur. Ceterum de his censoribus nihil a veteribus memoriæ proditum est.

Conf. Pigh. pag. 432. Hooke pag. 527. Apud Goltzium solum pag. 78. legitur, collegam Cn. Domitii Calvini fuisse, Ti. Coruncanium Nepotem.

LUSTRUM XXXIII.

Censores C. Fabricius Luscinus, Q. Aemilius Papus videntur hoc lustrum anno CDLXXVIII condidisse. Hoc conficitur ex Epitome historiæ Livianæ, ubi statim post Pyrrhum ex Italia pulsum (quod hoc anno accidisse creditur) traditur « Fabricius censor P. Cornelium Rufinum con- » sularem Senatu movit, quod is decem pondo argenti facti haberet. » Lustro a censoribus condito, censa sunt capita civium ducenta septua- » ginta unum millia, ducenta viginti quatuor (3)." Quod a Zonara confirmatur, ubi legimus « eodem anno, quo Pyrrhus Italia pulsus est, C. » Fabricium, Q. Aemilium Papum Censores cum alios Equitum Senato- » rumque Romanorum, tum P. Rufinum, quamvis Dictator et bis consul » fuerat, Senatu movisse, quod decem pondo argentea vasa possideret (4)."

---

(1) Vid. Livius Epit. lib. XIII.
(2) Vid. Plin. lib. VII. cap. 41.
(3) Vid. Livius Epit. lib. XIV.
(4) Vid. Zonaras Annal. tom. I. pag. 519.

Idem fere apud Valerium Maximum legimus « quid de Fabricii Luscini, » inquit, censura loquar? narravit omnis ætas, et deinceps narrabit, ab » eo Cornelium Rufinum duobus consulatibus et Dictatura speciosissime » functum, quod decem pondo vasa argentea comparasset, perinde ac » malo exemplo luxuriosum in ordine Senatorio retentum non esse (1)." Collegam vero C. Fabricii in censura fuisse Q. Aemilium Papum non solum ex Valerii verbis conficitur, verum etiam ex Aulo Gellio (2) et e Cicerone; « videmus, inquit, Papum Aemilium C. Luscino familiarem » fuisse, sic a patribus accepimus, bis una consules et collegas in cen- » sura (3)." Porro lustrum ab his fuisse conditum probat locus Livii, quem supra memoravimus.

Conf. Sigon. pag. 103. Onuph. pag. 244. Pigh. pag. 440. Goltz. pag. 80 et Hooke pag. 330.

LUSTRUM XXXIV.

Hoc lustrum conditum videtur anno urbis CDLXXXI a censoribus M. Curio Dentato, L. Papirio Cursore. Sic autem existimat Pighius, Frontini (4) auctoritatem secutus, cujus auctoris verba jam memoravimus, cum de lustro XXXI egimus. Scribit præterea Pighius, hanc Frontini supputationem congruere cum Fastis Capitolinis, cum hic annus ab Appii Cæci censura quadragesimus est: difficultas autem in loco Frontini, ob quam Sigonius et Onuphrius hos censores, ut vidimus, fuisse anno CDLXVII putant, scilicet quod Frontinus Curii Dentati collegam L. Papirium censorem non discernat a consule hujus anni, ita tollenda videtur Pighio, ut dicat, potius suspicandum esse e ratione temporis censorem hunc L. Papirium Cursorem fuisse L. Cursoris quinquies Coss. nepotem, ex majore filio Sp. Papirio Cursore, et hujus anni consulem ejus patruum

---

(1) Vid. Val. Max. lib. II. cap. 9. Ex. 4. Conf. Plut. in Sylla in princip. Aul. Gell. lib. IV. cap. 8. et lib. XVII. cap. 21. Florus lib. XVIII. cap. 18. § 23. Hujus rei quoque meminit Juvenalis, Satyr. IX. v. 141 et seq.

(2) Vid. Gell. lib. XVII. cap. 21.

(3) Vid. Cic. de Amic. cap. 11.

(4) Vid. Frontin. pag. 160.

fuisse « nisi malis, inquit, cum Sigonio opinari, patrem consulis censo- » rem hunc fuisse." M. Curius Dentatus Anienem aquam in urbem inducendam locavit e manubiis hostium (1). Lustrum autem hoc fuisse trigesimum quartum aliquo modo potest probari ex sequenti lustro, quod invenitur in fragmento Capitolino.

Sed primum videamus, quinam censores secundum Sigonium et Onuphrium hoc lustrum condiderint. Nimirum hi existimant, horum censorum alterum fuisse Ti. Coruncanium, quoniam Vellejum Paterculum eum censorem fuisse significare putant: sed ex his verbis « nam et illi antiqui » ante primum bellum Punicum, abhinc annos CCC, Ti. Coruncanium, » hominem novum, cum aliis omnibus honoribus, tum Pontificatu etiam » maximo ad principale extulere fastigium (2)," certo dici posse eum censorem fuisse, valde dubito; cum contra affimare possimus, neque Ciceronem, neque Livium, qui quidem de ejus consulatu et Pontificatu referunt, neque alios hujus Coruncanii censuræ mentionem fecisse. Huic adjecit collegam C. Claudium Caninam Onuphrius, scilicet quod Suetonius eum bis consulem fuisse testatur (3).

Conf. Sigon. pag. 106. Onuphr. pag. 244. Pigh. pag. 445. Goltz. pag. 81. Hooke pag. 332.

LUSTRUM XXXV.

Anno urbis CDLXXXVIII hoc lustrum esse conditum, censoribus Cn. Cornelio Blasione, C. Marcio Rutilo, ostendunt tabulæ Capitolinæ. De hoc lustro sic Livius « lustrum a censoribus conditum est. Censa » sunt civium capita ducenta octoginta duo millia ducenta triginta qua- » tuor (4)." Idem fere Eutropius, qui tradit, hoc anno censum esse habitum, et inventa esse civium capita CCXCII millia CCCXXXIV (5).

---

(1) Vid. Frontin. pag. 160. Aur. Vict. cap. 33.
(2) Vid. Vell. Pater. lib. II. cap. 128. Hos maxime amicitia inter se conjunctos fuisse tradit Cic. de Amicit. cap. 11.
(3) Vid. Suet. in vit. Tiberii. cap. 5.
(4) Vid. Livius Epit. lib. XVI. ibique Drakenb. et Freinshemii supplem. lib. VI. cap. 40.
(5) Vid. Eutrop. lib. II. cap. 18. ibique Verheyk.

C. Marcius Rutilus autem in hoc magistratu nomen censorini accepit; forte quod bene hoc magistratu perfunctus sit, vel quod bis creatus sit censor. Nam e tabulis Capitolinis patet eum bis censorem creatum fuisse: quod quoque Valerius Maximus refert, cujus auctoris verba hic inserere operæ pretium videtur : « M. Rutilus censorinus, inquit, iterum » censor creatus ad concionem populum vocatum, quam potuit, gravissima oratione corripuit: quod eam potestatem bis sibi detulisset, cujus » majores, quia nimis magna videretur, tempus coarctandum judicassent. » Uterque recte, et Censorinus et populus; alter enim, ut moderate ho» nores crederent, præcepit; alter se moderato credidit (1)." Hinc autem lex Marcia secuta est, qua cavebatur, ne quis iterum censor fieret (2). Ab his censoribus, secundum Pighium, Q. Fabius Gurges Princeps Senatus creatus est. Ceterum ab his nihil præclare factum in censura memoratum apud auctores invenimus.

Conf. Sigon. pag. 108. Onuph. Panv. pag. 245. Pigh. pag. 461. Goltz. pag. 84. Hooke pag. 336.

LUSTRUM XXXVI.

Hoc lustrum conditum videtur anno urbis CDXCV, censoribus C. Duilio, Appio Claudio Caudice. Hoc autem anno C. Duilium Nepotem censorem fuisse, patet ex fragmento Capitolino, in quo collegæ nomen non invenitur, sed solummodo SCIP. : quare existimat Onuphrius hoc loco indicari Cn. Cornelium Scipionem Asinam; cui adsentitur Goltzius. Pighius vero Duilio Nepoti e conjectura collegam addidit App. Claudium Caudicem, virum consularem, quo uno septem supplevit censuras ejus gentis, quas Claudios Patricios habuisse scribit Suetonius (3). Hoc anno lustrum esse conditum, probatur e lustro sequenti, quod in tabulis Capitolinis invenitur. Nullum tamen locum e veteribus addere possumus sive ad Onuphrii conjecturam, sive ad Pighii opinionem confirmandam.

---

(1) Vid. Valer. Max. lib. IV. cap. 1. Ex. 3.
(2) Vid. Plut. in Coriolano cap. 1. et Freinshem. lib. V. cap. 17.
(3) Vid. Suet. in vit. Tiber. l. c.

Conf. Onnph. pag. 246. Goltz. pag. 88. Pigh. tom. II. pag. 28. Hooke pag. 340.

Anno D censores fuisse D. Junium Peram, et L. Posthumium Megellum, ostendunt tabulæ Capitolinæ, e quibus patet propter L. Posthumii mortem D. Junium se magistratu abdicasse : hæc autem causa videtur, cur tabulæ Capitolinæ sequenti anno alios censores præbeant, qui lustrum condiderint.

Conf. Sigon. pag. 116. Onuph. Panv. pag. 246. qui Verrium Flaccum laudat; sed in præfatione jam diximus, Onuphrium Verrii Fastos confudisse cum Fastis Capitolinis. Pigh. pag. 42. Goltz. pag. 91. Hooke pag. 344.

LUSTRUM XXXVII.

Hoc lustrnm conditum est anno urbis DI, censoribus M. Valerio Maximo Messala, P. Sempronio Sopho, quod patet e tabulis Capitolinis. Horum censura fuit aspera; in Senatu enim recensendo tredecim eo moverunt (1), juvenesque quadringentos, cum iis equos publicos ademissent, ærarios feçerunt « quod hi ad munitionum opus explicandum ire » jussi facere id neglexerant (2)." Hanc rem quoque attigit Frontinus, cum scribat « Aurelius Cotta Coss. (qui hoc anno consul fuit) cum ad » opus Equites, necessitudine cogente, jussisset accedere, eorumque pars » detrectasset imperium, questus apud censores effecit, ut notarentur (3)." Hoc lustro censa sunt civium capita ducenta nonaginta septem millia, septingenta nonaginta septem (4).

Conf. Sigon. pag. 177. Onuph. Panv. pag. 246. Pigh. pag. 44. Goltz. pag. 91. et Hooke pag. 345.

---

(1) Vid. Livius Epit. lib. XVIII.
(2) Vid. Val. Max. lib. II. cap. 9. Ex. 7.
(3) Vid. Frontin. Stratagemat. lib. IV. cap. 1. § 22.
(4) Vid. Livius l. c.

LUSTRUM XXXVIII.

Censores A. Atilius Calatinus, A. Manlius Torquatus Atticus hoc lustrum anno DVI condiderunt, uti constat e tabulis Capitolinis. Hujus lustri aliqua mentio invenitur in Epitome Livii « lustrum a censoribus » conditum est, censa sunt civium capita ducenta quinquaginta unum » millia, ducenta viginti duo (1)."

Conf. Sigon. pag. 120. Onuph. Panv. pag. 247. Pigh. pag. 54. Goltz. pag. 94. Hooke pag. 548.

LUSTRUM XXXIX.

Anno urbis DXII censores creatos fuisse patet e tabulis Capitolinis, in quibus unius censoris nomen superest, nimirum C. Aurelii Cottæ; alterius nomen exesum est: in cujus tamen locum posuerunt viri docti M. Fabium Buteonem. Ut hoc conjicerent, adducti sunt verbis Livii « Dic» tatorem, qui censor ante fuisset, vetustissimusque ex eis, qui vive» rent, censoriis esset, creari placuit, qui Senatum legeret : adcirique » C. Terentium consulem ad Dictatorem dicendum jusserunt, qui — M. » Fabium Buteonem ex Senatusconsulto sine magistro Equitum Dictato» rem in sex menses dixit (2)." Hunc autem hoc lustro censum egisse, probant viri docti, quod postea neque in Fastis Capitolinis, neque in Livio desint censores. Existimat præterea Pighius, quamquam hujus lustri nulla mentio apud Livium invenitur, hos censores significasse, cum traderet duas tribus Velinam et Quirinam reliquis adjectas esse (3); cui conjecturæ, si locus dandus sit, hoc lustro XXXV tribus sunt expletæ. Censa sunt civium capita millia ducenta sexaginta (4).

Conf. Sigon. pag. 123. Onuph. Panv. pag. 248. Pigh. pag. 66. Goltz. pag. 95. et Hooke pag. 352.

---

(1) Vid. Livius Epit. lib. XIX. et Freinshem. lib. IX. cap. 38.

(2) Vid. Livius lib. XXIII. cap. 22. ibique viri docti. Pighius laudat Plutarchum in Q. Fabii Maximi vita; respicit, nisi fallor, locum Plutarchi in Q. Fabio Maximo cap. 5.

(3) Vid. Epitom. Livii lib. XIX. Conf. Freinshem. lib. IX. cap. 65.

(4) Vid. Euseb. Chronic. ad h. a.

Anno urbis DXVIII censores fuisse L. Cornelium Lentulum Caudinum et Q. Lutatium Cerconem patet ex fragmentis Capitolinis. Hunc autem in magistratu esse mortuum, illum vero existimant viri docti se magistratu abdicasse, ita ut lustrum non sit conditum. Hæc conjectura et ex eo firmari potest, quod mox in eisdem tabulis legimus novos censores esse creatos.

Conf. Sigon. pag. 125. Onuph. Panv. pag. 248. Pigh. pag. 92. Goltz. pag. 98. et Hooke pag. 356.

LUSTRUM XL.

Censores C. Atilius Bulbus, A. Posthumius Albinus anno urbis DXIX hoc lustrum condiderunt, uti constat e tabulis Capitolinis. Ab his censoribus existimant viri docti omnes cives adactos fuisse ad jusjurandum, ut ducerent uxores, liberorum procreandorum causa: quare putant ob hoc jusjurandum Sp. Carvilium primum Romæ divortium fecisse, cum uxorem sterilem haberet. Narrat enim Dionysius Hal., M. Pomponio, C. Papirio Coss., primum Sp. Carvilium uxorem repudiasse, coactum a censoribus jurare, se liberorum suscipiendorum gratia uxorem dimittere (1). Dionysium tamen non hujus anni consules adjecisse animadvertendum est, verum eos, qui anno DXXIII consules fuisse feruntur, licet anni fere conveniant. Apud Dionysium enim hoc accidisse scribitur anno quingentesimo vigesimo, et apud Gellium anno quingentesimo undevigesimo: « anno, deinde inquit, post Romam conditam, quingentesimo » undevigesimo Sp. Carvilius Ruga primus Romæ de amicorum sententia » divortium cum uxore fecit, quod sterilis esset, jurassetque apud cen- » sores, uxorem se liberûm quærendorum causa habere (2)."

Conf. Sigon. pag. 126. Onuph. Panv. pag. 248. Pigh. pag. 95. Goltz. pag. 98. et Hooke pag. 357.

Anno urbis DXXII censores T. Manlium Torquatum, Q. Fulvium Flaccum vitio creatos, se magistratu abdicasse constat e tabulis Capitolinis:

---

(1) Vid. Dion. Hal. lib. II. cap. 26. et Val. Max. lib. II. cap. 1.
(2) Vid. Aul. Gell. lib. XVII. cap. 21. ibique viri docti.

Livius autem confirmat eos censores fuisse, scribens, « ad eam rem » missus est T. Manlius Torquatus, qui bis consul censorque fuerat (1);" et alio loco de Q. Fulvio Flacco hoc idem tradit (2). Nullus vero ex auctoribus hos se magistratu abdicasse tradit, vel horum censorum mentionem fecit.

Conf. Sigon. pag. 128. Onuph. Panv. pag. 248. Pigh. pag. 104. Goltz. pag. 100. Hooke pag. 360.

LUSTRUM XLI.

Solæ tabulæ Capitolinæ probant anno urbis DXXIII Q. Fabium Maximum Verrucossum, M. Sempronium Tuditanum hoc lustrum condidisse. Nulli enim alii e veteribus horum censuræ meminerunt, nisi Q. Fabii Maximi censuræ mentio inveniatur in vetustissimo lapideo Epigrammate, quod invenitur apud Onuphrium.

Conf. Sigon. pag. 128. Onuph. Panv. pag. 249. Pigh. pag. 107. Goltz. pag. 101. et Hooke pag. 361.

LUSTRUM XLII.

Censores C. Claudium Centhonem, M. Junium Peram hoc lustrum condidisse anno urbis DXXVIII solummodo ex tabulis Capitolinis confirmari potest. Nam neque horum censorum, neque hujus lustri ulla exstat apud auctores veteres memoria. E Polybio (3) tantum constat, diligentissime censum esse actum ob metum belli Gallici instantis; belli autem Gallici Cisalpini initium ad annum præcedentem positum invenitur in tabulis Capitolinis. « Nec dubium, inquit Pighius, quin censores, cum ex officio » vacationum militiæ causas cognoscerent, non solum omnem juventutem » militarem, sed item sacerdotes, qui ab antiquo et vetustis Romuli et » Numæ institutis perpetua militiæ vacatione gaudebant; nec non senes » et stipendiis missos ad sacramentum adegerint, sicut ex Polybio et » Plutarchi Marcello nobis palam fit. Atque ita verisimile fit, anno supe-

---

(1) Vid. Livius lib. XXIII. cap. 34. ibique viri docti.
(2) Vid. Livius lib. XXIII. cap. 30.
(3) Vid. Polyb. lib. II. pag. 111.

» riore hosce censores creatos et censum actum, et hujus quidem initio » lustrum conditum fuisse (1).”

Conf. Sigon. pag. 129. Onuph. Panv. pag. 249. Pigh. pag. 119. Goltz. pag. 102. et Hooke pag. 365.

LUSTRUM XLIII.

Hoc lustrum conditum est anno urbis DXXXIII a censoribus L. Aemilio Papo, C. Flaminio. Hos censores Senatum legisse egregie potest probari ex Livii verbis: « neque enim post L. Aemilium, C. Flaminium » censores Senatus lectus fuerat; cum tantum Senatorum adversæ pugnæ, » ad hoc sui quemque casus, per quinquennium absumsissent (2).” Hi censores exemplum Q. Fabii Maximi secuti libertinos per omnes tribus rursus dispersos in quatuor tribus urbanas redegerunt (3). In hac censura C. Flaminius viam usque ad Ariminum munivit, et circum extruxit: quæ utraque opera ab eo nomen sumserunt (4). Sunt, qui mirentur Cassiodorum tradere hanc viam Flaminiam munitam esse consulibus L. Veturio, C. Lutatio, quos consules fuisse hoc anno, de quo nunc agimus, constat, cum apud Livium legatur C. Flaminium collegam M. Aemilii Lepidi in consulatu anno urbis DLXVI munivisse viam Flaminiam (5). Verum alii docent Livium ibi non de Flaminio censore, quem paullo post ad Trasimenum occisum esse constat, sed de ejus filio, qui viam ab Placentia ad Ariminum perduxit, agere (6). Lustrum denique ab his censoribus esse conditum e Livio constat, qui eo censa esse civium capita ducenta septuaginta millia, ducenta tredecim scribit (7). E Plinio quoque constat hos censores legem Metilliam de fullonibus populo ferendam dedisse (8).

---

(1) Pighius spectat, nisi fallor, Plutarchi locum in Marcello cap. 3. et Polyb. l. c.

(2) Vid. Livius lib. XXIII. cap. 22 et 23.

(3) Vid. Livius Epit. lib. XX.

(4) Vid. Cassiod. Chronic. Fest. in voce *Circus Flaminius*. Livius Epit. lib. XX. ibique imprimis Duker. Circus Flaminius quoque porta Flaminia aliquando dicitur. Vid. Liv. lib. III. cap. 54, 63.

(5) Vid. Livius lib. XXXIX. cap. 2. ibique Drakenb., Strab. lib. V. pag. 217 et 227. ibique Casaub.

(6) Vid. Cellar. Geograph. Ant. lib. II. pag. 596.

(7) Vid. Livius Epit. lib. XX.

(8) Vid. Plin. lib. XXXV. cap. 57. ibique Harduin.

Conf. Sigon. pag. 134. Onuph. Panv. pag. 250. Pigh. pag. 136. Goltz. pag. 105. Hooke pag. 369.

Anno urbis DXXXIX censores fuerunt M. Attilius Regulus, P. Furius Philus. Scribit enim Livius « delectu habito et centum navibus no- » vem deductis Q. Fabius comitia censoribus creandis habuit : creatì » M. Attilius Regulus, P. Furius Philus (1)." Antiquitus enim male apud Valerium Maximum legebatur, M. Attilii collegam in censura fuisse P. Furium Philippum (2). Hi censores, quod ad morum regimen attinet, multa præclara fecerunt; de quibus itaque Livium ipsum audiamus: « Censores, vacui ab operum locandorum cura, propter inopiam ærarii, » ad mores hominum regendos animum adverterunt, castigandaque vitia; » quæ velut, diutius morbis ægra corpora ex se gignunt, nata bello » erant. Primum eos citaverunt, qui post Cannensem pugnam Rempu- » blicam deseruisse, Italiaque excessisse velle dicebantur. Princeps eorum » L. Cæcilius Metellus Quæstor tum forte erat. Jusso deinde eo ceteris- » que ejusdem reis caussam dicere, cum purgari nequissent, pronun- » ciarunt verba orationemque eos adversus Rempublicam habuisse, quo » conjuratio deserendæ Italiæ caussa fieret. Secundum eos citati nimis » callidi exsolvendi jurisjurandi interpretes; qui captivorum ex itinere » regressi clam in castra Hannibalis, solutum, quod juraverant reditu- » ros, rebantur. His superioribusque illis equi ademti, qui publicum » equum habebant, tribuque moti ærarii omnes facti. Neque Senatu » modo aut Equestri ordine regendo cura se censorum tenuit, nomina » omnium ex juniorum tabulis excerpserunt, qui quod triennio non » militassent, quibus neque vacatio justa militiæ, neque morbus caussa » fuisset. Et ea supra duo millia nominum in ærarios relata, tribuque » omnes moti. Additumque inerti censoriæ notæ triste Senatusconsultum: » ut ii omnes, quos censores notassent, pedibus mererent, mitterentur- » que in Siciliam ad Cannensis exercitus reliquias, cui militum generi » non prius, quam pulsus Italia hostis esset, finitum stipendiorum tem-

(1) Vid. Livius lib. XXIV. cap. 11.
(2) Vid. Val. Max. lib. II. cap. 9. Ex. 8. ibique viri docti.

» pus erat (1)." Constat etiam e Livio, hos censores propter inopiam ærarii se locationibus ædium sacrarum, ac similium rerum, abstinuisse: sed hortatos esse, se omnia locare, ac si pecunia esset in ærario, cum nemo, nisi bello confecto, petiturus esset pecuniam (2). Lustrum autem hi censores non condiderunt, quoniam P. Furius in magistratu mortuus erat, quare se magistratu abdicavit M. Atilius Regulus (3).

Conf. Sigon. pag. 141. Onuph. Panv. pag. 252. Pigh. pag. 170. Goltz. pag. 109. Hooke pag. 375.

Anno DXLIII censores fuerunt L. Veturius Philo, P. Licinius Crassus Dives. Hi etiam neque senatum legerunt, neque quidquam publicæ rei egerunt. P. Licinius enim se magistratu abdicavit ob mortem collegæ (4). Alio loco narrat Livius, hos censores M. Livium Salinatorem, qui a populo damnatus per multos annos extra urbem fuerat, tonderi, squalorem deponere, et in senatum venire coëgisse (5).

Conf. Sigon. pag. 144. Onuph. Panv. pag. 253. Pigh. pag. 189. Goltz. pag. 110. et Hooke pag. 381.

LUSTRUM XLIV.

Censores M. Cornelius Cethegus, P. Sempronius Tudianus anno urbis DXLIV hoc lustrum condiderunt. Inter hos censores, qui nondum consules fuerant, dissidium ortum est de Principe senatus legendo. Scribit enim Livius « Sempronii lectio erat: ceterum Cornelius morem traditum » a patribus sequendum ajebat, ut, qui primus censor ex iis, qui vi» verent, fuisset, eum principem legerent: is T. Manlius Torquatus erat. » Sempronius, cui Dii sortem legendi dedissent, ei jus liberum eosdem » dedisse Deos; se id suo arbitrio facturum, lecturumque Q. Fabium » Maximum, quem tum principem Romanæ civitatis esse vel Hannibale » judice victurus esset. Quum diu certatum verbis esset, concedente

(1) Vid. Livius lib. XXIV. cap. 18. et Val. Max. l. c.
(2) Vid. Livius l. c. Val. Max. lib. V. cap. 6. Ex. 8.
(3) Vid. Livius lib. XXIV. cap. 43.
(4) Vid. Livius lib. XXVII. cap. 6.
(5) Vid. lib. XXVII. cap. 34.

» collega, lectus a Sempronio Princeps in senatu Q. Fabius Maximus con-
» sul (1)." Ceterum in legendo senatu octo præterierunt hi censores, inter quos L. Cæcilius Metellus, qui auctor fuerat deserendæ Italiæ post cladem Cannensem. In recensendis Equitibus quoque hanc caussam servarunt, sed pauci erant, quibus hæc infamia inhærebat. Iis tamen omnibus equos publicos adimerunt, qui erant Equites in Sicilia legionum Cannensium. « Addiderunt, inquit Livius, acerbitati etiam tempus, ne præterita sti-
» pendia procederent iis, qui equo publico meruerant, sed dena stipen-
» dia equis privatis facerent (2)." Præterea omnes ærarios fecerunt, qui initio hujus belli septemdecim annos nati non militaverant. Omnia etiam, quæ circa forum deleta erant, locaverunt, veluti septem tabernas, macellum, atrium regium (3). Hoc lustro censa sunt civium capita centum triginta septem millia, centum et octo (4).

Conf. Sigon. pag. 144. Onuph. Panv. pag. 253. Pigh. pag. 192. Goltz. pag. 111. Hooke pag. 381.

LUSTRUM XLV.

Hoc lustrum conditum est anno urbis DXLIX, censoribus M. Livio Salinatore, C. Claudio Nerone. Ab his censoribus in senatu legendo Princeps senatus iterum lectus est Q. Fabius Maximus, et septem notati sunt (5). In Equitum censu agendo sibi invicem equos publicos, quos habebant, ademerunt; scribit enim Livius « Quum ad tribum Polliam ven-
» tum est, in qua M. Livii nomen erat, et præco cunctaretur citare
» ipsum censorem; cita, inquit Nero, M. Livium; et sive ex residua
» et vetere simultate, sive intempestiva jactatione severitatis inflatus,
» Livium, quia populi judicio esset damnatus, equum vendere jussit.
» Item M. Livius, quum ad tribum Arniensem et nomen collegæ ventum
» est, vendere equum C. Claudium jussit; duarum rerum causa; unius,

(1) Vid. Livius lib. XXVII. cap. 11.
(2) Vid. Livius l. c.
(3) Vid. Livius l. c.
(4) Vid. Livius lib. XXVII. cap. 36.
(5) Vid. Livius lib. XXIX. cap. 37.

» quod falsum adversus se testimonium dixisset; alterius, quod non sin-
» cera fide secum in gratiam rediisset. — Exitu censuræ, quum in leges
» jurasset C. Claudius, et in ærarium escendisset, inter nomina eorum,
» quos ærarios relinquebat, dedit collegæ nomen. Deinde M. Livius in
» ærarium venit, et præter Mæciam tribum, quæ se nec condemnasset,
» neque condemnatum aut consulem aut censorem fecisset, populum
» Romanum omnem, quatuor et triginta tribus aerarios reliquit, quod
» et innocentem se condemnassent, et condemnatum consulem et cen-
» sorem fecissent; neque inficiari possent, aut judicio semel, aut comitiis
» bis ab se peccatum esse. Inter quatuor et triginta tribus et C. Claudium
» aerarium fore. Quod si exemplum haberet, bis eundem aerarium re-
» linquendi, C. Claudium nominatim se inter ærarios fuisse relictu-
» rum (1)." Ab his censoribus præterea sarta tecta exacta sunt, et via e foro Boario ad Veneris, et circa foros publicos et ædem Matris Magnæ, facienda in Palatio locata. Novum vectigal ex salaria annona statuerunt; « sextante sal, inquit Livius, et Romæ, et per totam Italiam erat.
» Romæ pretio eodem, pluris in foris et conciliabulis, et alio alibi pretio
» præbendum locaverunt. Id vectigal commentum alterum ex censori-
» bus satis credebant, populo iratum, quod iniquo judicio quondam dam-
» natus esset; et in pretio salis maxime oneratas tribus, quarum opera
» damnatus erat, credebant. Inde Salinatori Livio inditum cognomen (2)."
» Condiderunt hi censores lustrum serius, cum per Provincias dimiserint censores, ut cognosceretur numerus civium, qui in exercitu essent : eoque lustro censa sunt civium capita ducenta decem et quatuor millia hominum. Hi censores acceperunt quoque censum duodecim coloniarum, quem harum coloniarum censores deferebant : quod nunquam antea factum fuisse scribit Livius (3).

Conf. Sigon. pag. 148. Onuph. Panv. pag. 254. Pigh. pag. 217. Goltz. pag. 114. Hooke pag. 388.

---

(1) Vid. Livius lib. XXIX. cap. 37. Val. Max. lib. II. cap. 9. Ex. 6. Aurel. Vict. cap. 50.
(2) Vid. Livius l. c.
(3) Vid. Livius l. c.

LUSTRUM XLVI.

E tabulis Capitolinis probatur, hoc lustrum anno urbis DLIV fuisse conditum, censoribus P. Cornelio Scipione Africano, P. Aelio Paeto. Hi censores magno animi consensu magistratum gesserunt, et in senatu legendo nullum notarunt. Portoria venalium Capuæ Puteolisque Castrorum quoque portorium struenda locaverunt, et colonos eo trecentos adscripserunt, et sub Tifatis Capuæ agrum vendiderunt (1). Hoc lustro ipse censor P. Cornelius Scipio Princeps senatus lectus est (2).

Conf. Sigon. pag. 151. Onuph. Panv. pag. 254. Pigh. pag. 247. Goltz. pag. 117. Hooke pag. 394.

LUSTRUM XLVII.

Hoc lustrum conditum est anno DLIX, censoribus Sexto Aelio Paeto, C. Cornelio Cethego. Hi censores in senatu legendo tres senatores præterierunt, qui vero curuli honore non usi erant, et senatus Principem iterum dixerunt P. Scipionem Africanum. Paucis quoque Equitibus equos ademerunt. Magnam vero gratiam inierunt apud ordinem senatorium, quod Aedilibus curulibus imperaverint, ut in ludis Romanis loca senatoribus destinata secernerentur a populo (3). Præterea atrium Libertatis et villam publicam refici atque amplificari curabant (4). Sequente anno a Cornelio Cethego lustrum conditum est, quo censa sunt civium capita centum quadraginta tria millia septingenta quatuor (5).

Conf. Sigon. pag. 154. Onuph. Panv. pag. 254. Pigh. pag. 268. Goltz. pag. 119. et Hooke pag. 400.

---

(1) Vid. Livius lib. XXXII. cap. 7.

(2) Vid. Livius lib. XXXIV. cap. 44.

(3) Vid. Livius lib. XXXIV. cap. 44. ibique Duker. Ascon. Pedian. in Orat. Cic. pro Cornel. pag. 132. et Cic. Orat. de Harusp. respons. cap. 12. ibique Wolf.

(4) Vid. Livius l. c.

(5) Vid. Livius lib. XXXV. cap. 9. ibique Drakenb.

LUSTRUM XLVIII.

Censores T. Quinctius Flamininus, M. Claudius Marcellus, anno urbis DLXIV hoc lustrum condiderunt (1). Hi censores in senatu legendo quatuor præterierunt, et tertium legerunt Principem senatus P. Scipionem Africanum: in Equitatu autem recensendo valde mitis eorum censura fuit. « Substructionem, ut Livius inquit, super Aequimælium in Capi- » tolio, et viam silice sternendam a porta Capena ad Martis locaverunt. » Campani, addit, ubi censerentur, senatum consuluerunt: decretum, » uti Romæ censerentur (2)." Hi primi Formianos, Fundanos et Arpinates municipes, quibus suffragii latio data erat, cum antea civitatem sine suffragii jure haberent, in tribubus censuerunt, nimirum Formianos et Fundanos in Aemilia tribu, Arpinates autem in Cornelia (3). Censuerunt quoque omnes, qui cives se profitebantur, si nati essent ex ingenuis parentibus (4). Sorte hoc lustrum condidit M. Claudius Marcellus, quo censa sunt civium capita ducenta quinquaginta octo millia, trecenta octo (5).

Conf. Sigon. pag. 161. Onuph. Panv. pag. 255. Pigh. pag. 289. Goltz. pag. 122. Hooke pag. 407.

LUSTRUM XLIX.

Hoc lustrum conditum est anno urbis DLXIX, censoribus L. Valerio Flacco, M. Porcio Catone. Quinque autem Patriciis et sex plebejis hoc tempore censuram petentibus, censores hi creati sunt (6). Cato censuram ambiens dixisse fertur « populum opus habere acri medico, et magna » purgatione: non itaque blandissimum, sed inexorabilem aliquem et » severissimum esse diligendum;" quo facto præ omnibus censor creatus

---

(1) Vid. Livius lib. XXXVII. cap. 58.
(2) Vid. Livius lib. XXXVIII. cap. 28. Plut. in ejus vita cap. 18.
(3) Vid. Livius lib. XXXVIII. cap. 36.
(4) Vid. Plut. l. c.
(5) Vid. Livius l. c.
(6) Vid. Livius lib. XXXIX. cap 40.

est (1). Hi censores cum senatum legerent, ejus Principem dixerunt L. Valerium (2), et septem senatu moverunt, inter quos erat L. Quinctius Flamininus, vir consularis, multisque honoribus perfunctus (3). De causa hujus notæ maxime discrepant auctores a Livio, qui tradit censores notasse L. Quinctium, quod ille in gratiam pueri cujusdam Bojum, qui cum liberis transfuga ab eo fidem accipere volebat, interfecerat sua manu (4). Eundem tamen Quinctium senatorio ordini restitutum esse constat e Plutarcho (5) et Valerio Maximo (6). Nam cum in ludis solemnibus loco senatoribus destinato non consideret, sed inter plebem, populus splendore illius familiæ motus in locum senatorium eum redire jussit. Cato quoque Manilium senatu movit, quod uxorem præsente filia osculatus fuisset, dicens « se suam uxorem numquam osculatum fuisse, » nisi magno tonitru, atque per jocum dicere se solitum, Jove tonante se » felicem esse :" unde vulgare proverbium tunc temporis apud Romanos : *Jove tonante Cato beatus* (7). Sic etiam notavit L. Porcium Lecam, quod hic a censore jussus ad rogata respondere, dixisset, cum Cato eum rogaret, « et tu ex animi tui sententia uxorem habes? non, ex tui animi » sententia ;" nam quod nimis importune jocari videretur, eum inter ærarios reliquit (8). In Equitibus autem recensendis non minus aspera fuit ejus censura. Lucio Scipioni Asiatico enim, viro consulari, equum ademit, quo facto, magnam in se invidiam contraxit Cato, quod hoc facere videbatur, ut Scipionem Africanum offenderet (9). L. Veturio quoque equum ademit, et causam eum notandi in oratione, quam contra eum dixit, aperuit. Et vero Cato non solum contra eum, verum etiam contra omnes, qui a se censore vel senatorio loco moti erant, vel quibus

---

(1) Vid. Plut. Apophthegm. pag. 454. litt. D. tom. I. edit. Wyttenbachii. et Liv. lib. XXXIX. cap. 40. (2) Vid. Livius lib. XXXIX. cap. 52.

(3) Vid. Livius lib. XXXIX. cap. 42.

(4) Vid. Livius l. c. Plut. in Cat. Maj. cap. 17. in Flaminino cap. 18. Cic. de Senect. cap. 12. Val. Max. lib. II. cap. 9. Ex. 3. Aurel. Vict. cap. 47.

(5) Vid. Plut. in Flamin. cap. 19. et in Cat. Maj. cap. 18.

(6) Vid. Val. Max. lib. IV. cap. 5. Ex. 1.

(7) Vid. Plut. in Cat. Maj. cap. 17.

(8) Vid. Cic. de Orat. lib. II. cap. 64.

(9) Vid. Livius lib. XXXIX. cap. 44. Aur. Vict. cap. 53. Plut. l. c. cap. 18.

equi erant ademti, acerbissimas habuit orationes; quas orationes et suo tempore exstitisse tradit Livius, et earum longe gravissimam fuisse eam, quam contra L. Quinctium habuit (1). Sic quoque apud Plinium legimus, « exstant Catonis in censura vociferationes, mulieribus Romanis in pro» vinciis statuas poni; nec tamen inhibere potuit, quominus Romæ etiam » ponerentur (2)." Ex hac autem Catonis in L. Veturium Oratione, quædam verba apud Festum memorantur, ubi « Cato in ea, quam scribit de L. » Veturio, de Sacrificio commisso, cum ei equum ademit, quod tu, quod » in te fuit, sacra stata solemnia capite sancto deseruisti (3)." Præcipue vero Cato in censura luxum Romanorum impedire conatus est; quam ob causam jussit viatores omnia ornamenta, vehicula et vestem muliebrem, quæ pluris quam quindecim millium æris valerent, in censum referre, quæ omnia antea censibus adscribi non solebant (4). Præterea curavit, ut « mancipia annis viginti minora, quæ post proximum lustrum decem » millibus æris, aut eo pluris, venissent, uti ea quoque decem, tanto » pluris, quam quanti essent, æstimarentur; et his rebus omnibus terni » in millia æris attribuerentur (5)." Quibus institutis factum est, ut multi majore tributo pressi, luxum deponerent. Sunt, qui existiment, hujus Catonis censoris tempore morem invaluisse, ut motis senatu adscriberentur notæ; sed eorum opinio satis mihi videtur refutata, ubi de magisterio morum egimus, quare hæc nunc mittamus. Aquam publicam omnem, quæ in privatorum ædificia aut agros fluebat, iis censores ademerunt, et omnes privatos, qui ædificia in loco publico exstruxerant, et qui loca publica ædificando occupaverant, illos hæc intra triginta dies demoliri jusserunt (6). Hi censores deinde opera facienda locaverunt: veluti lacus lapide sternendos, et cloacas detergendas: easque exstruendas in

---

(1) Vid. Livius lib. XXXIX. cap. 42.

(2) Vid. Plin. lib. XXXIV. cap. 14. Forsitan huc quoque spectat locus Festi in voce *redemtitavere*.

(3) Vid. Festus in voce *stata sacrificia*.

(4) Vid. Livius lib. XXXIX. cap. 44. Plut. l. c. Nepos in ejus vita cap. 2. et Polyb. Fragment. lib. XXXI. pag. 986.

(5) Vid. Livius l. c. ibique Drakenb. Plut. l. c. Conf. Budæus de asse. lib. IV. pag. 391.

(6) Vid. Livius l. c. ibique viri docti, et Plut. l. c. cap. 19.

Aventino et in aliis partibus, qua nondum eraut. Separatim autem Flaccus locavit molem ad aquas Neptuneas, et viam per Formianum montem. Cato vero in publicum emit duo atria, Mænium et Titium, et quatuor tabernas, ibique basilicam exstruendam jussit, quæ ab eo Porcia appellata est (1). Huc quoque pertinent verba Asconii Pediani « Mænius cum domum suam ven» deret Catoni et Flacco censoribus, ut ibi basilica ædificaretur, exceperat » jus sibi unius columnæ, super quam tectum projiceret ex provolantibus » tabulatis (2)." Vectigalia item summis pretiis locaverunt, infimis vero retro tributa. Cum autem senatus precibus publicanorum adductus has locationes denuo locari jussisset, censores, postquam edicto eos ab hasta submoverant, qui ludibrio habuerant priorem locationem, omnia eadem locaverunt paullo imminutis pretiis (3). Lustrum denique hos censores condidisse, nec Livius, nec Plutarchus, nec alii referunt: quod tamen ab his conditum fuisse patet ex tabulis Capitolinis. Hac censura Cato multorum invidiam sibi conflavit, verum populum illa, quæ Cato censor fecerat, probasse, exinde confici potest, quod cum ei statua in æde Salutis poneretur, huic statuæ nec Catonis honores, nec triumphum inscripserit, sed tantum modo Catonem Rempublicam Romanam, ad pravos mores declinantem, suis institutis ac præceptis censorem correxisse (4).

Conf. Sigon. pag. 159. Onuph. Panv. pag. 255. Pigh. pag. 310. Goltz. pag. 124. Hooke pag. 412.

LUSTRUM L.

Hoc lustrum conditum est anno urbis DLXXIV, censoribus M. Aemilio Lepido, M. Fulvio Nobiliore. Hi antequam censores creati erant, maximi sibi invicem inimici fuerant. Sed Q. Cæcilii Metelli oratione, quæ apud Livium exstat, reconciliati sunt: adeo ut deinde summa con-

---

(1) Vid. Livius l. c. Plut. l. c.

(2) Vid. Ascon. Ped. in Cic. Divin. in Q. Cæcil. pag. 36. Hujus Porciæ basilicæ quoque memimit in Cicer. pro Mil. pag. 183.

(3) Vid. Livius l. c. Plut. l. c. et in Flaminin. cap. 19. de *ultro tributis* videndi sunt Turneb. Advers. lib. I. cap. 25. et lib. XXVII. cap. 32. et Lips. ad Senec. de Beneficiis lib. VI cap. 1. Atque exinde explicantur verba Cic. de off. lib. III. cap. 22. § 9.

(4) Vid. Plut. in ejus vita cap. 19.

cordia censum peregerint (1). In senatu legendo Principem senatus dixerunt ipsum M. Aemilium Lepidum; tres vero e senatu ejecerunt præter eos, qui a collega præteriti retenti sunt a M. Lepido (2). De censu Equitum, quem hi censores egerunt, nihil tradit Livius; hujus vero meminit Cicero, ubi scribit « ut censor Lepidus, cum M. Antistio Pyrgensi equum » ademisset, amicique vociferarentur, et quærerent, quid ille patri suo » responderet, cur ademtum sibi equum diceret, cum optimus colonus, » parcissimus, modestissimus, frugalissimus esset: *Me istorum,* inquit, » *nihil credere* (3)." Deinde cum postularent, ut sibi pecunia attribueretur, qua in opera publica uti possent, annuum vectigal decretum est, adeo ut ex pecunia attributa opera conficienda inter se diviserint (4). M. Aemilius Lepidus itaque molem ad Tarracinam, quod prædia ibi habebat, locavit, et theatrum et proscenium ad Apollinis, ædem Jovis in Capitolio et columnas circumcirca albo poliendas; atque ab his columnis signa amovit, quæ incommode apposita videbantur. M. Fulvius vero locavit portum et pilas pontis in Tiberim, basilicam post argentarias novas et forum piscatorium, tabernis circumdatis, quas in privatum vendidit: præterea forum et porticum extra portam Trigeminam, et aliam post navalia, et ad Fanum Herculis, et post Spei ad Tiberim ædem Apollinis Medici. Deinde hi censores communiter locarunt aquam adducendam et fornices faciendos. Hoc opus vero impedivit M. Licinius Crassus, qui non passus est, ut per suum fundum duceretur. Multa sacella publica, quæ privati occupaverant, iis ademerunt, utque populo paterent, fecerunt, et ut sacra essent (5). Macellum quoque exstruxerunt; scribit enim Festus; « Macellum dictum a Macello quodam, qui exercebat in urbe latrocinia, » quo damnato censores Aemilius et Fulvius statuerunt, ut in domo » ejus obsonia venderentur (6)." Iidem censores multa portoria et vectigalia instituerunt. In suffragiis quoque aliquid mutaverunt, nimirum

(1) Vid. Livius lib. XL. cap. 45, 46. Cic. de Prov. cons. cap. 9. Aul. Gell. XII. cap. 8.
(2) Vid. Livius lib. XL. cap. 51.
(3) Vid. Cic. de Orat. lib. II. cap. 71.
(4) Vid. Livius lib. XL. cap. 46 et 51.
(5) Vid. Livius lib. XL. cap. 51.
(6) Vid. Festus in voce *Macellum.*

tribus ita descripserunt, ut homines unius generis et ordinis, unius causæ et quæstus, simul ferrent suffragium. Lustrum tandem condiderunt, quo lustro censa sunt civium capita ducenta sexaginta tria millia, ducenta nonaginta quatuor (1).

Conf. Sigon. pag. 161. Onuph. Panv. pag. 259. Pigh. pag. 338. Goltz. pag. 127. Hooke pag. 418.

LUSTRUM LI.

Censores Q. Fulvius Flaccus, A. Posthumius Albinus anno urbis DLXXIX hoc lustrum condiderunt. In senatu legendo hi censores hujus Principem iterum dixerunt M. Aemilium Lepidum, et senatu novem moverunt. Insignes notæ autem fuerunt M. Cornelii Maluginensis et L. Cornelii Scipionis Prætoris: et Q. Fulvius Flaccus ipse suum patrem germanum Cn. Fulvium senatu movit, quod injussu consulis cohortem legionis, in qua Tribunus militum erat, domum dimiserat (2). In censu Equitum multis equos ademerunt; adeo ut et eorum censura, quod ad morum magisterium attinet, severa fuerit (3); atque omnes, quos alter censor vel senatu movit, vel quibus equos ademit, vel universe notavit, neque alter probavit (4). Plurima opera publica cum Romæ, tum per Italiam locaverunt. In urbe enim vias silice sternendas, extra urbem glarea substruendas et marginandas locaverunt, et pontes multis locis exstruendas atque scenam ædilibus ac prætoribus præbendam. Præterea carceres et ova ad notas curriculis numerandas et alia plura opera, quæ vero in Livio adeo corrupte memorantur, cum multa verba desiderentur, ut multi viri docti ad has lacunas implendas ingenium suum experti sint. Dein tamen narratur a Livio, hos quoque clivum Capitolinum silice sternendum curavisse, et porticum ab æde Saturni in Capitolium ad senaculum, ac super id curiam. Extra portam autem Trigeminam emporium lapide stravisse, stipitibusque sep-

(1) Vid. Livius Epit. lib. XLI.

(2) Vid. Livius lib. XLI. cap. 32. Vell. Paterc. lib. I. cap. 10 Val. Max. lib. II. cap. 7. Ex. 5. Frontin. Stratagem. lib. IV. cap. 1. Ex. 32. ibique Oudendorp.

(3) Vid. Livius lib. XLI. cap. 32.

(4) Vid. Livius lib. XLII cap. 10.

sisse; et porticum Aemiliam reficiendam curavisse, et extra eandem portam in Aventinum porticum silice stravisse, ex eodem auctore constat. Iidem, inquit Livius, Calatiæ et Auximi muros faciendos locaverunt; venditisque ibi publicis locis, pecuniam, quæ redacta erat, tabernis utrique foro circumdandis consumserunt (1). Neminem e senatoribus, qui ab his censoribus in senatum lectus erat, ante sequens lustrum diem supremum obiisse, constat e Plinio. Scribit enim Plinius « qua in re illud annotare » succurrit, unum omnino quinquennium fuisse, quo senator nullus » moreretur, cum Flaccus et Albinus censores lustrum condidere ab anno » urbis quingentesimo sextuagesimo nono usque ad proximos censores (2)." A. Posthumius Albinus lustrum condidit, quo censa sunt civium capita ducenta sexaginta novem millia et quindecim. « Minor, addit Livius, ali- » quanto numerus, quia L. Posthumius consul pro concione edixerat, » qui Socium Latini nominis ex edicto C. Claudii consulis redire in civi- » tates suas debuissent, ne quis eorum Romæ, sed omnes in suis civi- » tatibus censerentur (3)."

Conf. Sigon. pag. 164. Onuph. Panv. pag. 261. Pigh. pag. 356. Goltz. pag. 130. Hooke pag. 425.

LUSTRUM LII.

Censores C. Claudius Pulcher, Ti. Sempronius Gracchus anno urbis DLXXXIV hoc lustrum condiderunt. Hi censores a populo creati sunt, licet quatuor principes viros hujus magistratus competitores haberent. Censorum autem delectus hoc tempore magna cura erat propter bellum Macedonicum, cum Juniores ad sua nomina non responderent; quare censores in concione illud edictum ediderunt: « Legem censui censendo » dicturos esse, ut, præter commune omnium civium jusjurandum, hæc » adjurarent: Tu minor annis sex et quadraginta es, tuque ex edicto » C. Claudii, Ti. Sempronii censorum ad delectum prodito; et, quoties- » cumque delectus erit, quem hic censores magistratum habebunt, si

---

(1) Vid. Livius lib. XLI. cap. 32.
(2) Vid. Plin. lib. VII. cap. 48. ibique Harduin.
(3) Vid. Livius lib. XLII. cap. 10. Numerus civium aliter in Epitome hujus libri legitur.

» miles factus non eris, in delectu prodibis (1)." Item edixerunt de militibus in Macedoniam scriptis. « Ut, qui eorum in Italia essent, intra » dies triginta, censi prius apud sese, in provinciam redirent. Qui in » patris aut avi potestate essent, eorum nomina ad se ederentur. Missorum » quoque causas sese cognituros esse; et, quorum ante emerita stipendia » gratiosa missio sibi visa esset, eos milites fieri jussuros (2)." Cum dein senatum legerent, hujus Principem tertio dixerunt M. Aemilium Lepidum, et septem senatu moverunt (3). Asperi quoque erant in Equitibus recensendis; multis enim equos ademerunt, et præterea edictum ediderunt, quo maxime Equites offenderent. Edictum autem erat, « ne quis » eorum, qui Q. Fulvio, A. Posthumio censoribus publica vectigalia aut » ultro tributa conduxissent, ad hastam suam accederet, sociusve aut ad- » finis ejus conductionis esset (4)." Hoc edicto itaque publicani irati censorum potestatem minuere volebant, et causæ contra censores agendæ tandem P. Rutilium Tribunum plebis patronum nacti sunt. Nam cum libertinum, clientem Rutilii, jussissent parietem in sacra via demoliri, quod in publico loco ædificatus erat, hic appellavit Tribunos, sed nemine præter Rutilium intercedente, privato mulctam pro concione dixerunt censores. Rutilius autem iratus et a publicanis incitatus rogationem promulgavit; « quæ publica vectigalia, ultro tributa C. Claudius et » Ti. Sempronius locassent, ea rata locatio ne esset; de integro locaren- » tur, et ut omnibus redimendi et conducendi promiscue jus esset." Quam cum censores apud populum dissuasissent, Ti. Gracchi bona publicata sunt, quod contra Tribunorum plebis potestatem egerat, et C. Claudio dies dictus. Cum autem Claudius prior causam dixisset, eumque multis condemnatum videret Gracchus, juravit « si collega damnatus » esset, non exspectato de se judicio, comitem ejus exilii futurum." Qua Gracchi constantia Claudius absolutus est (5). Hujus facti quoque memi-

(1) Vid. Livius lib. XLIII. cap. 16. ibique Drakenb.

(2) Vid. Livius l. c.

(3) Vid. Livius lib. XLIII. cap. 17

(4) Vid, Livius lib. XLIII. cap. 18.

(5) Vid. Livius lib. XLIII. cap. 18. Aurel. Vict. cap, 57. Val. Max. lib. VI. cap 5. Ex. 3. Festus in voce *religionis*. Cic. de Inventione lib. I. cap. 30.

nit Cicero, scribens « quod quidem eo fuit majus, quia cum causa » pari collegæ essent, non modo invidia pari non erant, sed etiam Claudii » invidiam Gracchi caritas deprecabatur (1)." Dein censum, severius quam antea, egerunt censores. Multis enim Equitibus equos publicos ademerunt, inter quos erat P. Rutilius, de quo modo vidimus, quem etiam tribu moverunt, et ærarium fecerunt; atque quem alter notaverat, hujus ignominia ab altero non levata est (2). In censu populi agendo cognoscebant causas stipendiis missorum, et quorum missio non justa videbatur, jurejurando renovato, ad signa redire coëgerunt (3). Præterea Ti. Gracchus, cum statueret, libertinos, si modo rustica prædia pluris sestertium triginta millium haberent, censeri posse, omnes illos e quatuor urbanis tribubus movere volebat, quibus et dicta summa et quinqûennio major filius non erant. Sed ei objecit collega C. Claudius, suffragii lationem injussu populi censorem non cuiquam homini, neque ordini universo adimere posse: adeo ut in eo conventum sit, ut in Atrio Libertatis ex quatuor urbanis tribubus unam sortirentur, in quam omnes libertinos conjicerent. Cum itaque Esquilinæ sors exiisset, pronunciavit Gracchus in ea libertinos omnes censeri placere (4). Deinde petiverunt, ut anni et bimensis tempus prorogaretur ad opera, quæ locassent, probanda, et sarta tecta exigenda; sed Cn. Tremellius intercessit (5). Dimidium autem ex vectigalibus ejus anni ex senatusconsulto iis attributum est, adeo ut Ti. Sempronius ex ea pecunia, quæ ipsi attributa erat, ædes P. Africani pone veteres ad Vertumni signum et lanienas ac tabernas conjunctas in publicum emerit, basilicamque exstruendam curaverit, quæ postea Sempronia appellata est (6). Denique hoc lustrum conditum esse patet ex tabulis

---

(1) Vid. Fragment. Cic. de Republ. lib. VI. cap. 2. Nonius in voce *deprecor* ibique Majus. et Gell. lib. VI. cap. 16.

(2) Vid. Livius lib. XLIV. cap. 16. lib. XLV. cap. 15.

(3) Vid. Livius lib. XLIII. cap. 17.

(4) Vid. Livius lib. XLV. cap. 15. Cic. de Orat. lib. I. cap. 9. De hoc Ti. Gracchi facto multa exposuimus cap. 1.

(5) Vid. Livius l. c. ibique Drakenb.

(6) Vid. Livius lib. XLIV. cap. 16. Claudii censoris quoque meminit Plinius lib. XXXV. cap. 7. ibique Harduin.

Capitolinis; quo censa sunt civium capita trecenta duodecim millia, octingenta quinque (1).

Conf. Sigon. pag. 166. Onuph. Panv. pag. 261. Pigh. pag. 373. Goltz. pag. 132. Hooke pag. 428.

LUSTRUM LIII.

Censores L. Aemilium Paullum, Q. Marcium Philippum anno urbis DLXXXIX hoc lustrum condidisse patet ex tabulis Capitolinis. Senatum cum hi censores legerent, hujus Principem dixerunt M. Aemilium Lepidum, et tres senatu moverunt; atque in Equitibus recensendis pari moderatione usi sunt (2). Operum, quæ hi censores locaverint, nulla mentio apud auctores invenitur. E Plinio tamen constat, hos censores horologium solare secundum rostra in columna posuisse (3); et Q. Marcium censorem signum Concordiæ fecisse, idque in publico collocasse, refert Cicero (4). L. Aemilius Minervam, Phidiæ præclarum opus, in æde Fortunæ posuit (5). Lustro, quod hi condiderunt, censa sunt civium capita trecenta viginti septem millia, viginti duo (6).

Conf. Sigon. pag. 168. Onuph. Panv. pag. 257. Pigh. pag. 395. Goltz. pag. 134. Hooke pag. 433.

LUSTRUM LIV.

Hoc lustrum conditum est, censoribus P. Cornelio Scipione Nasica, M. Papillio Lænate anno urbis DXCIV. Hi cum senatum legerent, hujus Principem dixerunt Aemilium Lepidum (7). Equitem Romanum notaverunt et ærarium fecerunt, quod, quum equum male habitum ipse nitens adduxisset, et a censoribus interrogatus esset, unde fieret, ut dominus

(1) Vid. Livius Epit. lib. XLV.
(2) Vid. Plut. in Aemilio Paullo cap. 38.
(3) Vid. Plin. lib. VII. cap. 60. et censorin. de Die Nat. cap. 23.
(4) Vid. Cic. pro Dom. cap. 50.
(5) Vid. Plin. lib. XXXIV. cap. 8.
(6) Vid. Livius Epit. lib. XLVI. et Plut. l. c. Horum censorum quoque aliquomodo meminit Plinius lib.. XXVI. cap. 4. Val. Max. lib. VII. cap. 5. Ex. 3.
(7) Vid. Livius Epit. lib. XLVII.

equo tantum esset habitior? respondisset: quoniam ego me curo, equum Statius meus (1). De his autem sic legimus apud Plinium. « In hac cen» sura P. Nasica collega M. Lænatis aqua divisit horas æque noctium ac » dierum, idque horologium sub tecto dicavit anno ab U. DXCV (2)." Iidem quoque omnes statuas, quæ circa forum statutæ essent, sustulerunt, exceptis iis, quæ statutæ erant ex senatus aut populi sententia, ut hoc facto ambitionem minuerent (3). Ex operibus hac in censura locatis P. Cornelius Scipio in Capitolio porticum fecit (4). Lustro, quod hi condiderunt, censa sunt civium capita trecenta viginti octo millia, trecenta quatuordecim (5).

Conf. Sigon. pag. 171. Onuph. Panv. pag. 257. Pigh. pag. 415. Goltz. pag. 135. Hooke pag. 438.

LUSTRUM LV.

Censores M. Valerius Messalla, C. Cassius Longinus hoc lustrem condiderunt anno urbis DXCIX, quorum ille ante censoriâ notâ perstrictus fuerat (6). Hi theatrum locaverunt, sed cum exstrueretur, ex senatus consulto rursus destructum est P. Cornelii Nasicæ auctoritate (7). C. Cassius autem signum concordiæ, quod, ut vidimus, Q. Marcius in publico locaverat, consilio Pontificum in curiam transtulit (8). Quid vero aliud hi censores fecerint, nemo veterum memoriæ prodidit. Lustro, quod hi condiderunt, censa sunt civium capita trecenta viginti quatuor millia (9).

Conf. Sigon. pag. 173. Onuph. Panv. pag. 257. Pigh. pag. 429. Goltz. pag. 137. Hooke pag. 442.

---

(1) Vid. Aul. Gell. lib. IV. cap. 20. Nonius in voce *strigosus*.

(2) Vid. Plin. lib. VII. cap. 60. Censorin. de Die Nat. cap. 23.

(3) Vid. Plin. lib. XXXIV. cap. 6. Aur. Vict. cap. 44.

(4) Vid. Vell. Paterc. lib. II. cap. 1 et 3.

(5) Vid. Livius Epit. lib. XLVII.

(6) Vid. Valer. Max. lib. II. cap. 9.

(7) Vid. Livius Epit. lib. XLVIII. Paterc. lib. I. cap. 15. Val. Max. lib. II. cap. 4. Tacit. Annal. lib. XIV. cap. 20. Orosius lib. IV. cap. 21.

(8) Vid. Cic. pro Dom. cap. 50. et seq.

(9) Vid. Livius Epit. lib. XLVIII. Hos censores nominat Plinius lib. XVII. cap. 25.

LUSTRUM LVI.

Censores L. Cornelius Lentulus Lupus, L. Marcius Censorinus anno urbis DCVI hoc lustrum condiderunt, uti constat e tabulis Capitolinis. Ab his Scipionem Nasicam Principem senatus esse lectum existimat Pighius, quod per aliquot lustra Valerius Maximus hunc Principem senatus fuisse tradit (1). Porro neque horum operum, neque lustri, quod condidisse videntur, mentio apud Livium invenitur. Eusebius tamen refert anno secundo Olympiadis CLVIII inventa esse hominum trecenta viginti duo millia (2).

Conf. Sigon. pag. 185. Onuph. Panv. pag. 258. Pigh. pag. 453. Goltz. pag. 140. Hooke pag. 448.

LUSTRUM LVII.

P. Cornelius Scipio Africanus Aemilianus, L. Mummius anno urbis DCXI hoc lustrum condiderunt, uti certi sumus e tabulis Capitolinis. Ille enim censor creatus est, licet et Appius, vir in Republica multum valens, censuram peteret. In hoc certamine cum Appius, diceret, se omnes cives nominatim compellare, Scipione fere omnes ignorante, Scipio respondit : » vera dicis, non enim mihi cura fuit multos nosse, sed a nemine igno- » rari (3)." Scipio itaque, cum censor factus esset, habuit pro rostris orationem, qua populum adhortatus est, ad mores majorum imitandos et luxum comprimendum, eamque orationem ornavit multis censoriæ severitatis exemplis (4); addidit quoque se ex majestate Reipublicæ omnia gesturum, si sibi cives vel dedissent collegam, vel non dedissent (5). In senatu legendo Principem ejus legisse hos censores P. Scipionem Nasi-

(1) Vid. Val. Max. lib. VII. cap. 5. Ex. 2.

(2) Vid. Euseb. in Chron. ad. h. a. Utriusque censoris meminit. Val. Max. lib. VI. cap. 9. Ex. 10.

(3) Historiam narrat Plut. in Aemil. Paullo cap. 38. et Apopht. pag. 557. Edit. Wyttenbachii tom. I.

(4) Vid. Aul. Gell. lib. IV. cap. 20.

(5) Vid. Val. Max. lib. VI. cap. 4. Ex. 2. Aurel. Vict. cap. 58.

cam existimat Pighius, ductus verbis Valerii Maximi (1). Scipionis censura severa fuit; nam Equiti cuidam equum ademit, quod hic in cœna sumtuosa placentam Carthaginis in formam confectam, cum adhuc Carthago a Scipione oppugnaretur, convivis suis diripiendam proposuerat, respondens, notæ causam quærenti « quia me prior Carthaginem diri- » puisti (2)." Sic de C. Licinio sacerdote, cum in Equitum censu citatus equum traduceret, dicebat, se scire, sacerdotem conceptis verbis pejerasse: siquis accusare, vel contra eum dicere vellet, usurum eum testimonio suo. Sed, nemine prodeunte, jussit Licinium equum traducere, dicens « se simul accusatoris et judicis partes subire non posse (3)." Ita Claudium Asellum, equo publico ademto, ærarium fecit, qui tamen postea a collega L. Mummio probatus est (4). P. Scipionis lepidum responsum refert Cicero, quod dedit cuidam inter ærarios relato et tribu moto, cum Centurio in Macedonico exercitu L. Paulli patris in pugna contra Perseum abfuisset. Hic enim, cum causam notæ quæreret, diceretque in castris custodiæ causa se remansisse; « notavi, respondit, quia non amo » nimium diligentes (5)." Ex verbis Ciceronis, « quæ cum Scipio dixisset, » admodum probat Mummius; erat enim nimis odio quodam Rhetorum » imbutus (6)," videntur hi censores aliquid de Rhetoribus edixisse: sed hoc certe affirmari nequit. Operum publicorum, quæ hi censores locaverint, nulla apud veteres exstat memoria; nisi e Livio constet hos censores pilis pontis in Tiberim, quas antea M. Fulvius locaverat, fornices imponendas locavisse (7). Quinam ex his censoribus lustrum condiderit, non certe dici potest, cum auctores hac de re dissentiant. E Ciceronis enim verbis « Asello Africanus objicienti lustrum illud infelix, noli, in- » quit, mirari, is enim, qui te ex ærariis exemit, lustrum condidit, et

(1) Vid. Val. Max. lib. VII cap. 5. Ex. 2.

(2) Vid. Plut. Apophthegm. pag. 557.

(3) Vid. Cic. pro Cluent. cap. 48. Val. Max. lib. IV. cap. 1. Ex. 10. Plut. Apophthegm. pag. 558.

(4) Vid. Cic. de Orat. lib. II. cap. 64. Aul. Gell. lib. III. cap. 4.

(5) Vid. Cic. de Orat. lib. II. cap. 67.

(6) Vid. Fragment. Cic. de Republ. lib. V. pag. 304. ibique Majus et Nonius in voce *imbuere*.

(7) Vid. Livius. lib. XL. cap. 51.

» taurum immolavit (1)" Valerius Maximus contra tradit Scipionem hoc lustrum condidisse his verbis « Africanus posterior, cum censor lus» trum conderet, et in solito sacrificio scriba ex publicis solemni ejus » precationis carmine præïret, quo Dii immortales, ut populi Romani res » meliores amplioresque facerent, rogabantur, satis inquit, bonæ ac » magnæ sunt, itaque precor, ut eas perpetuo incolumes servent; ac » protinus in tabulis publicis in hunc modum emendari jussit, qua vo» torum verecundia deinceps censores in condendis lustris usi sunt (2)." Hoc lustro censa sunt civium capita trecenta viginti octo millia trecenta quadraginta duo (3).

Conf. Sigon. pag. 193. Onuph. Panv. pag. 259. Pigh. pag. 475. Goltz. pag. 143. Hooke pag. 554.

Solus Onuphrius, scilicet *Censoriorum virorum copia adductus*, existimat anno urbis DCXCVI censores fuisse, sed aliqua de causa lustrum non condidisse. Cum vero neque auctores historiæ Romanæ, nec Fasti Capitolini hos memorent, conjicit hos fuisse P. Cornelium Lentulum et App. Claudium Pulchrum. Lentulum autem propterea censorem fuisse putat, quod ille sæpius a Cicerone Princeps senatus appellatur. App. Claudium vero, quoniam Plutarchus eum consularem, censorium et Principem senatus fuisse tradit.

Vid. Onuph. pag. 260.

LUSTRUM LVIII.

Cum in fragmento marmorum Capitolinorum ad annum DCXCVII hæc leguntur : OR. L. F. LVIII. conjiciunt unum ex his, qui hoc lustrum condiderunt, fuisse Q. Fulvium Nobiliorem, cui collegam addit Sigonius App. Claudium Pulchrum ob eandem causam, quam, ut modo vidimus, Onuphrius attulit ad suam opinionem firmandam. Et hoc

---

(1) Vid. Cic. de Orat. lib. II. cap. 66. et Aul. Gell. lib. IV. cap. 17.

(2) Vid. Val. Max. lib. IV. cap. 1. Ex. 10. Hæc Valerii verba temporis historia illustravit Angelus Majus in Præfat. ad libros Cic. de Repub. pag. 9. Edit. Romæ 1823.

(3) Vid. Livius Epit. lib. LIV.

verisimile esse scribit Pighius, quod superiore lustro hic Appius Scipionis Aemiliani competitor fuit (1). Contra Onuphrius Fulvio Nobiliori collegam in censura addit Q. Fabium Maximum Servilianum, idque probare conatus est e verbis Valerii Maximi « Q. Fabius Maximus Servilianus ho» noribus, quos splendidissime gesserat, censuræ gravitate consumatus, » exegit pœnas a filio dubiæ castitatis (2)." Lustro, quod hi condiderunt, censa sunt civium capita trecenta viginti tria millia (3).

Conf. Sigon. pag. 200. Onuph. Panv. pag. 260. Pigh. pag. 499. Goltz. pag. 143. Hooke pag. 455.

LUSTRUM LIX.

Censores Q. Cæcilium Metellum Macedonicum, Q. Pompejum anno urbis DCXXII hoc lustrum condidisse, patet e tabulis Capitolinis; quod confirmatur, quia in Livii historiæ Epitome traditur, hos primum utrosque ex plebe censores creatos fuisse (4). De horum censura fere nihil referunt veteres auctores; scimus tamen Q. Metellum censorem edictum edidisse, quo omnes liberorum creandorum gratia ducere uxores cogerentur, et hanc Metelli orationem Augusti Cæsaris tempore etiam exstitisse, cum hic hanc orationem in senatu recitaverit (5). Quod confirmatur Suetonii auctoritate « etiam libros totos, inquit, senatui re» citavit, et populo notos per edictum sæpe fecit; ut orationes Q. Me» telli de prole augenda et Rutilii de modo ædificiorum (6)." Intellexisse enim Suetonium hoc loco Q. Cæcilium Metellum Macedonicum probant Dukerus et Oudendorpius contra Torrentium aliosque, qui hoc loco intelligi velint Q. Cæcilium Metellum Numidicum, idque probare conentur ex verbis Auli Gellii « multis et eruditis viris audientibus legebatur oratio » Metelli Numidici, gravis ac diserti viri, quam in censura dixit, ad » populum de ducendis uxoribus, quum eum ad matrimonia capescenda

(1) Vid. Plut. in Aemilio Paullo cap. 38.
(2) Vid. Val. Max. lib. VI. cap. 1. Ex. 5.
(3) Vid. Livius Epit. lib. LVI.
(4) Vid. Livius Epit. Lib. LIX.
(5) Vid. Livius l. c. ibique Duker.
(6) Vid. Suet. in vita Augusti cap. 89. ibique Oudendorp.

» adhortaretur (1).” Docet autem Dukerus, Suetonium Cognomen Metelli non addidisse, ideoque horum opinioni non favere; Aulum Gellium verò Cæcilii Metelli Numidici quidem orationem de eodem argumento memorasse, non tamen retulisse, hanc ab Augusto fuisse recitatam; itaque nihil superesse, nisi ut Livii Epitomem sequamur (2). In senatu legendo præteriit Metellus C. Attilium Labionem, Tribunum plebis, qui hanc ob notam Metello ita iratus fuit, ut eum interfecisset, nisi multi Metello auxilio fuissent: deinde vero foculo in rostris posito Metelli bona consecravit (3). Lustro, quod hi condiderunt, censa sunt civium capita trecenta septemdecim millia octingenta viginti tria, præter pupillos et viduas (4).

Conf. Sigon. pag. 210. Onuph. Panv. pag. 261. Pigh. Tom. III. pag. 13. Goltz. pag. 145. et Hooke pag. 456.

Anno urbis DCXXVII censores fuisse existimant viri docti, quod quinquennii spatium a proximo lustro illud exigere videatur. Cumque de his nihil certi affirmari possit, alii alios hoc anno censores posuerunt. Nimirum ex sententia Onuphrii fuerunt censores L. Metellus Calvus et L. Piso: his rationibus, quod L. Metellum Calvum censorem fuisse patet ex verbis Valerii Maximi « fratribus Metellis Q. et L. consularibus et censoriis (5).” L. vero Pisonem censorem fuisse putat, quod sæpius censorius a veteribus vocatus est. Sigonius contra, cui adsentitur Pighius, pro L. Pisone, L. Metello collegam addidit Q. Fabium Servilianum, quod hujus censuræ mentio reperitur apud Valerium (6). Quid hi censores fecerint, quantum scio, nullus veterum memoriæ prodidit; etiam hos non lustrum condidisse patet ex sequenti lustro, de quo igitur videamus.

Conf. Sigon. pag. 214. Onuph. Panv. pag. 262. Pigh. 33. Goltz. pag. 147. Hooke pag. 458.

---

(1) Vid. Aul. Gell. lib. 1. cap. 6.

(2) Vid. Duker. ad Livium l. c. Casaub. et Oudend. ad Suet. l. c.

(3) Vid. Livius Epit. lib. LIX. Cic. pro Dom. cap. XLVII. Plin. lib. VII. cap. 44. ibique Harduin. Aul. Gell. lib. XIV. cap. 8.

(4) Vid. Livius l. c. Q. Pompeji censoris meminit Cic. in Bruto cap. 76.

(5) Vid. Val. Max. lib. VIII. cap. 5.

(6) Vid. Val. Max. lib. VI. cap. 1. Ex. 5.

LUSTRUM LX.

Hoc lustrum conditum est anno urbis DCXXVIII a censoribus Cn. Servilio Cæpione, L. Cassio Longino, quod probari potest e verbis Frontini « Cn. Servilius Cæpio, inquit, et L. Cassius Longinus, qui Ravilla ap» pellatus est, censores anno post urbem conditam DCXXVII M. Plantio » Hypsæ, Fulvio Flacco Coss. aquam, quæ vocatur Tepula, ex agro » Lucullano, quem quidam Tusculanum credunt, Romam et in Capito» lium adducendam curaverunt (1)." Hi censores quasdam leges censorias mutasse videntur; Cicero enim scribit « corriguntur leges censoriæ. Quod » enim video in multis veteribus legibus Cn. Domitius, L. Metellus, L. » Cassius, Cn. Servilius Censores addiderunt (2)." Horum censorum severitatis etiam exemplum affertur a Vellejo Paterculo, quod Aemilium Lepidum Augurem adesse jussissent, cum ædes sex millibus conduceret (3). Lustro, quod hi condiderunt, censa sunt civium capita trecenta nonaginta millia, septingenta triginta sex (4). Quod tamen lustrum sequenti anno conditum fuisse colligit Pighius ex Plutarcho, qui tradit C. Gracchum, deserta Proquæstura Provinciæ suæ, Romam e Sardinia reversum apud censores accusatum causam dixisse (5).

Conf. Sigon. pag. 214. Onuph. Panv. pag. 262. Pigh. pag. 59. Goltz. pag. 147. et Hooke pag. 459.

LUSTRUM LXI.

Incertum est, qui censores hoc lustrum condiderint; conditum tamen esse conjiciunt viri docti anno urbis DCXXXIII propter quinquennii spatium, sed alii alios censores hoc anno fuisse divinantur. Onuphrius Panvinus putat unum ex his fuisse Q. Servilium Cæpionem, quod Valerius Maximus eum censorem fuisse testatur (6); alterum vero contendit

(1) Vid. Frontin. de Aquæduct. pag. 162.
(2) Vid. Cic. in Verr. lib. I. cap. 55.
(3) Vid. Vell. Paterc. lib. II. cap. 10. § 1.
(4) Vid. Livius Epit. lib. LX.
(5) Vid. Plut. in C. Graccho cap. 2.
(6) Vid. Val. Max. lib. VIII. cap. 5.

fuisse Q. Metellum Balearicum, adductus verbis Ciceronis « Q. Metellus, » qui tres filios consules vidit, e quibus unum etiam Censorem et trium- » phantem (1)." Ut autem probaret, Q. Metellum Balearicum, non vero L. Metellum Dalmaticum censorem fuisse, affert alium locum Ciceronis « non L. Diadematus consularis, summa auctoritate vir (2)" « nam, in- » quit, non prætermissurus fuisset Cicero in ipso *Dalmatico* censuram, » si eam gessisset." Forsitan recte conjicit Onuphrius hoc anno censorem fuisse Q. Metellum Balearicum, certe habet Sigonium Pighium aliosque hac in re consentientes. Sed neque hujus opinionis præsidium est in Ciceronis loco, quem citat; neque ex eo probari potest, L. Metellum Dalmaticum censorem non fuisse; agit enim hoc loco Cicero de L. C. Metello *Diademato*, non de L. C. Metello *Dalmatico*; et errat Onuphrius Diadematum cum Dalmatico confundens et pro uno habens, quum Dalmaticus sit Diademati frater patruelis. Ejusdem erroris socius est Sigonius, qui etiam Dalmaticum censorem fuisse negat, Diadematum a Dalmatico non discernens, et pro uno utrumque habens (3). — Pro Q. Servilio Cæpione Sigonius et Pighius L. Calpurnium Pisonem collegam addiderunt Q Metello, quod Piso censorius dicitur a Dionysio, Plinio (4) et Censorino (5).

Conf. Sigon. pag. 219. Onuph. Panv. pag. 263. Pigh. pag. 74. Goltz. pag. 150. Hooke Tom. XI. pag. 424.

LUSTRUM LXII.

Censores L. Cæcilius Metellus Dalmaticus, Cn. Domitius Ahenobarbus hoc lustrum anno urbis DCXXXVIII condiderunt. Hi cum senatum legerent hujus Principem dixerunt M. Aemilium Scaurum (6) et triginta duos Senatu moverunt (7), inter quos erat Licinius Geta, qui priori anno

---

(1) Vid. Cic. de Finib. lib. V. cap. 27. Vell. Paterc. lib. II. cap. 11.

(2) Vid. Cic. post redit. ad Quirites. cap. 3.

(3) Vid. Burm. ad Vell. Pater. lib. II. cap. 3. et cl. Schutzius in Indice Geographico et Historico in Opera Ciceronis pag. 273.

(4) Vid. Plin. lib. XIII. cap. 13.

(5) Vid. Censorin. de Die Nat. cap. 17.

(6) Vid. Sallust. Belli Jugurth. cap. 25. Plut. in libello de fortuna Roman. cap. 6. Plin. lib. II. cap. 54.

(7) Vid. Livius Epit. lib. LXII.

consul fuerat, quique ipse post aliquot annos censoriam potestatem adeptus est (1). In horum numero quoque fuit Cassius Sabaco, qui, cum ejus servus conspectus esset inter eos, qui suffragia ferebant, a judicibus interrogatus responderat, se propter æstum frigidam postulasse, et servum cum poculo ad se ingressum, simul atque bibisset, abiisse : quare vel ob falsum testimonium, vel ob intemperantiam eum senatu moverunt censores (2). Cassiodorus, cum de consulibus agat, refert hos censores artem ludicram ex urbe removisse, præter Latinum tibicinem et ludum talorum. Horum quoque meminit Cicero scribens « corriguntur leges censoriæ; quid enim? Video in multis veteribus legibus : Cn. Domitius, L. Metellus, L. Cassius, Cn. Servilius censores addiderunt (3). Præterea reperitur in antiquissimo fragmento mentio legis, quam hi censores, cum vectigalia locarent, tulisse videntur: in quo fragmento hæ litteræ exsculptæ sunt : EX. LEGE. DICTA. QVAM. L. CÆCIL. CN. DOM. CENS. QVOM. EORVM. AGRORVM. VECTIGALIA. ERVENDA. LOCAVERVNT. (4). Lustro, quod anno sequenti condiderunt, censa sunt civium capita trecenta nonaginta quatuor millia, trecenta triginta sex (5).

Conf. Sigon. pag. 211. Onuph. Panv. pag. 264. Pigh. pag. 98. Goltz. pag. 152. Hooke pag. 424.

Anno urbis DCXLIV censores fuisse M. Aemilium Scaurum et M. Livium Drusum patere videtur ex verbis Plutarchi, ubi tradit Aemilium Scaurum censorem se magistratu abdicare noluisse, cum Livius Drusus ejus collega mortuus esset. Hujus Aemilii Scauri censuræ mentionem facit Aurelius Victor « censor, inquit, Aemiliam stravit, pontem Mulvium fecit. » Abdicare igitur ipsum detrectasse verisimile est, App. Claudii Cœci » exemplo, ut hæc opera in magistratu absolvere posset (6)." Via autem Aemilia, quam M. Aemilius Scaurus stravisse scribitur ab Aurelio Victore,

---

(1) Vid. Val. Max. lib. II. cap. 9. Ex. 9. Cicero pro Cluent. cap. 42.
(2) Vid. Plut. in Mario cap. 5.
(3) Vid. Cic. Act. II. in Verr. lib. I. cap. 55.
(4) Vid. Pigh. Tom. III. pag. 137.
(5) Vid. Livius Epit. lib. LXIII.
(6) Vid. Aur. Vict. cap. 72.

ea intelligenda est, quam Strabo tradit ab Scauro per Pisas et Lunam usque ad Sabacium atque inde Derthonem ductam fuisse (1); altera enim Aemilia strata erat ab M. Aemilio Lepido, ut supra vidimus. Livii Drusi censoris nulla fere mentio apud veteres invenitur; e Suetonio tamen constat, gentem Liviam floruisse duabus censuris (2); quarum unam gessisse M. Livium Salinatorem jam supra docuimus, et hanc alteram M. Livium Drusum e Plutarcho constat.

Conf. Sigon. pag. 225. Onuph. Panv. pag. 265. Pigh. pag. 126. Goltz. pag. 154. Hooke pag. 426.

LUSTRUM LXIII.

Hoc lustrum notatum est ad annum DCXLV in tabulis Capitolinis; qui autem censores hoc condiderint, non certum est. Hoc itaque condidisse Q. Fabium Maximum Allobrogicum, C. Licinium Getam existimant viri docti, Sigonium secuti, quod Asconius Pedianus scribit « Fornix Fabianus » est arcus juxta regiam in sacra via, a Fabio censore constructus, qui » a devictis Allobrogibus Allobrogicus cognominatus est (3)." De C. Geta e Cicerone constat, qui refert eum, licet a L. Metello et Cn. Domitio censoribus e Senatu motus esset, postea tamen censorem fuisse factum (4). Denique hos ambos in Censura collegas fuisse docet locus Frontini, ubi dicitur « aquarum curam aliquando ædilibus, aliquando censoribus fuisse, » idque apparere ex eo, quod factum est C. Licinio Cæsula, M. Fabio » censoribus (5)." Ab his autem censoribus Principem senatus esse lectum M. Aemilium Scaurum existimat Sigonius, certe hoc titulo M. Aemilius sæpissime a scriptoribus ornatur, qui etiam, teste Cicerone (6), princeps senatus fuit in seditione C. Norbani, anno DCLVIII.

Conf. Sigon. pag. 226. Onuph. Panv. pag. 265. Pigh. pag. 130. Goltz. pag. 155. Hooke pag. 426.

---

(1) Vid. Strabo lib. V. pag. 217 et 227.

(2) Vid. Suet. in vita Tib. Neron. cap. 3.

(3) Vid. Ascon. Pedian. in Cic. in Verrem pag. 49.

(4) Vid. Cic. pro Cluentio. cap. 42. Val. Max. lib. II. cap. 9. Ex. 10.

(5) Vid. Frontin. de Aquæduct. pag. 192. ibique pro *consulibus* legendum existimant viri docti *censoribus*.

(6) Vid. Cic. de Orat. lib. II. cap. 47.

LUSTRUM LXIV.

Propter quinquennale spatium existimant ii, qui Fastos ediderunt, hos lustrum esse conditum anno urbis DCLI, et quidem a censoribus Q. Cæcilio Metello Numidico, C. Cæcilio Metello Caprario. Hi duo fratres patrueles erant; scribit enim Vellejus Paterculus « censuram duorum hanc » Metellorum patruelium, non Germanorum fratrum fuisse (1)." Q. Metelli Numidici censoris sæpius apud Ciceronem mentio reperitur. Sic memorat Cæsarem Strabonem, cum Q. Metellus in delectu militari propter bellum Cimbricum severo oculorum excusationem non acciperet, ac quæreret: tu igitur nihil vides? respondisse; ego vero a porta Esquilina video villam tuam (2). Idem Metellus censum recipere noluit a L. Equitio Firmano libertino, qui se filium Tib. Gracchi fingebat (3). L. Saturninum quoque notavit (4), et Servilium Glauciam et Appulejum senatu movisset, qui Tribunatu plebis functi erant, nisi collega ejus obstitisset (5). Hujus Metelli Numidici censoris quoque meminit Gellius: « multis, inquit, et eruditis viris audientibus, legebatur Oratio Metelli » Numidici, gravis ac diserti viri, quam in censura dixit ad populum de » ducendis uxoribus, quum eum ad matrimonia capescenda adhortaretur. » In ea oratione ita scriptum fuit: si sine uxore, Quirites, possemus esse, » omnes ea molestia careremus; sed quoniam ita naturà tradidit, ut nec » cum illis satis commode, nec sine illis ullo modo vivi possit, saluti » perpetuæ potius, quam brevi voluptati consulendum (6)." De C. Metelli censura vix aliud e veteribus constat, nisi quod Q. Metelli Numidici collega videtur e verbis Velleji Paterculi (7), et censorius vocatur a Cicerone (8). Tertium ab his censoribus Principem senatus fuisse lectum

(1) Vid. Vell. Paterc. lib. II. cap. 8.

(2) Vid. Cic. de Orat. lib. II. cap. 68.

(3) Vid. Val. Max. lib. IX. cap. 7. Ex. 1 et 15. Cic. pro Sext. Cap. 47. Appian. Civil. I. Flor. lib. III. cap. 16. Aurel. Vict. cap. 62. Orosius lib. V. cap. 17.

(4) Vid. Cic. pro Sext. cap. 16. pro Dom. cap. 31.

(5) Vid. Appian. Civil. I.

(6) Vid. Aul. Gell. lib. I. cap. 6.

(7) Vid. Vell. Paterc. l. c.

(8) Vid. Cic. post redit. ad Quirit. cap. 3.

M. Aemilium Scaurum scribit Pighius, sed suæ opinionis auctoritatem non addit.

Conf. Sigon. pag. 231. Onuph. Panv. pag. 267. Pigh. pag. 161. Goltz. pag. 158. Hooke pag. 428.

LUSTRUM LXV.

Ex Tabulis Capitolinis constat, censores L. Valerium Flaccum et M. Antonium hoc lustrum condidisse anno urbis DCLVI. In senatu legendo hi censores M. Duronium Senatu moverunt, quod Tribunus plebis cum esset, legem de conviviorum sumtibus abrogasset, contraque bonos mores populi Romani invectus esset (1). Horum censuræ vel operum quæ locaverint, nulla mentio apud auctores invenitur, nisi quod Cicero refert, M. Antonium censorem rostra manubiis Imperatoriis ornasse (2) multisque locis eum censorium vocat. Hoc tempore Marius credebatur petiturus esse censuram, sed hoc magistratu se abstinuit, cum declinaret offensas, quæ, adeo corrupta civitate, bono censori imminebant (3). Numerum civium, qui hoc lustro censi sunt, nemo veterum prodidit.

Conf. Sigon. pag. 238. Onuph. Panv. pag. 268. Pigh. pag. 189. Goltz. pag. 160. Hooke pag. 430.

LUSTRUM LXVI.

E tabulis Capitolinis apparet anno urbis DCLXI censores fuisse Cn. Domitium Ahenobarbum et L. Licinium Crassum; e quibus tamen non constat, hos item lustrum condidisse. Horum censura contentionibus et simultatibus privatis plena erat. Scribit enim Plinius « Nobilissimarum » gentium ambo Crassus atque Domitius censuram post consulatum simul » gessere, anno ab U. C. DCLXII, frequentem jurgiis propter dissimili- » tudinem morum (4)." Austeritatem enim Domitio Crassus, luxum Crasso Domitius objectavit, adeo ut Cicero memoret ipsam orationem, qua Cras-

---

(1) Vid. Val. Max. lib. II. cap. 9. Ex. 5. Cic. de Orat. lib. II. cap. 16.
(2) Vid. Cic. de Orat. lib. II. cap. 41.
(3) Vid. Plut. in Mario cap. 51.
(4) Vid. Plin. lib. XVII. cap. 1.

sus Censor Domitium obruit (1). Existimat igitur Sigonius, Crassum ob has contentiones se magistratu abdicasse, et hanc opinionem confirmari verbis Ciceronis « sequentem annum, quo Philippus consul fuit, primum » fuisse Crasso ab honorum perfunctione (2);" quam Sigonii sententiam refutat Pighius: Ciceronem enim scribere L. Crassum mortuum esse die VII post Idus Septembris; et ex eodem Cicerone palam esse, Crassum, censura jam ante Kalendas Julias ejusdem anni peracta, privatum in Tusculano de oratore cum M. Antonio disseruisse. Perfunctum itaque tum esse censura cæterisque suis honoribus ordinariis anno, quo decessit. Hi censores edictum ediderunt, quo jusserunt Rhetores suas scholas claudere « Renunciatum est nobis, esse homines, qui novum genus disciplinæ » instituerunt: ad quos juventus in ludos conveniat; eos sibi nomen im- » posuisse Latinos Rhetores: ibi homines adolescentulos totos dies desidere. » Majores nostri, qui liberos suos discere, et quos in ludos itare vellent, » constituerint. Hæc nova, quæ præter consuetudinem ac morem majo- » rum fiunt, neque placent, neque recta videntur. Quapropter et iis, » qui eos ludos habent, et iis, qui eo venire consueverunt, videtur fa- » ciendum, ut ostendamus nostram sententiam nobis non placere (3)." Sic quoque in Dialogo de Oratoribus ab incerto auctore conscripto « at » nunc adolescentuli nostri deducuntur in scholas scholasticorum, qui » Rhetores vocantur; quos paullo ante Ciceronis tempora exstitisse, nec » placuisse majoribus nostris, ex eo manifestum est, quod L. Crasso et » Domitio censoribus claudere, ut ait Cicero, ludum impudentiæ jussi » sunt (4)."

Conf. Sigon. pag. 241. Onuph. Panv. pag. 268. Pigh. pag. 211. Goltz. pag. 161. Hooke pag. 431.

---

(1) Vid. Cic. in Bruto cap. 44. Cic. de Orat. lib. II. cap. 11. Conf. Val. Max. lib. IX. cap. 1. Vid. Suet. in vit. Neron. cap. 2. Crassi luxus alii alia exempla attulerunt. Vid. Plin. lib XXXIII. cap. 11. lib. XXXIV. cap. 3. Macrob. lib. II. cap. 11. Aelian. hist. animal. lib. VIII. cap. 4.

(2) Vid. Cic. de Orat. lib. III. cap. 1.

(3) Vid. Suet. de Clar. Rhet. cap. 1. Aul. Gell. lib. XV. cap. 11.

(4) Vid. de Orator. Dialogus cap. 35. qui dialogus plerumque in publicum prodiit sub nomine Corn. Taciti. De hoc facto ipse Crassus loquitur apud Cic. de Orat. lib. III. cap. 24.

LUSTRUM LXVII.

Tabulæ Capitolinæ monstrant anno urbis DCLXIV censores fuisse P. Licinium Crassum et L. Julium Cæsarem. Hi censores præter morem, cum quinquennium a proximis censoribus nondum peractum esset, creati sunt, et præcipue in eum finem, ut socios in civitatem acceptos in novas octo tribus distribuerent. Edictum ab his editum scribit Plinius: « ne quis » unguenta inveheret vel venderet exotica," et deinceps « ne quis vi- » num Græcum, Aminiumque venderet, octonis æris singula quadrantilia (1)." Opera quædam locasse non videntur; fuit autem hoc tempore ærarium maxime exhaustum. P. Licinii Crassi censuræ exstat nummus, qui denotat Equitis transvectionem, qualis fieri coram censoribus solita erat. Ab una parte leguntur litteræ EX' ES. C. ab altera vero parte conspicitur illa Equitis transvectio, et Censoris nomen: P. CRASSVS M. F. (2). Censum vero hi censores non videntur peregisse, scribit enim Cicero, Julio et Crasso censoribus, primis a civitate sociis danda nullam populi partem fuisse censam (3) ob quem Ciceronis locum putant Sigonius et Onuphrius hos non lustrum condidisse; contraria vero est Pighii sententia: qui affert Festi locum, e quo confici posse ei videtur, hos lustrum condidisse: « Referri diem, inquit Festus, productam, id est anteferri, re- » ligiosum est, ut ait Verranius in eo, qui est auspiciorum de comitiis, » idque exemplo comprobat L. Julii et id P. Licinii censorum, qui id fe- » cerunt sine ullo decreto augurum, et ob lustrum parum felix fuit (4)."

Conf. Sigon. pag. 245. Onuph. Panv. pag. 269. Pigh. pag. 226. Goltz. pag. 162. et Hooke pag. 432.

LUSTRUM LXVIII.

E Tabulis Capitolinis constat anno urbis DCLXVII censores fuisse L.

---

(1) Vid. Plin. lib. XIII. cap. 3. lib. XIV. cap. 14.

(2) Vid. Spanhem. l. c. Diss. VI. pag. 551. P. Crassi censoris meminit Plut. in M. Crasso. cap. 1.

(3) Vid. Fest. in voce *referri*.

(4) Vid. Cic. pro Archia Poëta. cap. 5.

Marcium Philippum et M. Perpernam. In senatu legendo Principem ejus dixerunt L. Valerium Flaccum (1). L. Marcius Appium Claudium avunculum suum senatu movit (2). De Perperna sic Plinius « Perperna septem, » inquit, in senatu reliquit, cum moreretur, ex iis quos Censor legerat (3)." Horum operum publicorum nulla mentio apud auctores invenitur; verum nummus quidam, in quo Lucii Marcii nomen et facies invenitur, docere videtur, hunc censorem ductum aquæ Marciæ bello sociali disturbatum restaurasse (4). Huc spectat quoque locus Ciceronis: « Vult aliquid ejus» modi C. Verres. Dic, quid addidit? qui de L. Marcio M. Perperna » censoribus redemerit, eum socium ne admittito, neve ei partem dato; » neve ei redimito (5)." Libertinos quoque in triginta quinque tribus distribuisse videntur (6). Lustrum ab his conditum existimatur, quod Eusebius refert hoc tempore descriptionem Romæ esse factam, et censa esse civium capita quadringenta sexaginta tria millia (7).

Conf. Sigon. pag. 248. Onuph. Panv. pag. 270. Pigh. pag. 238. Goltz. pag. 164. Hooke pag. 435.

Anno urbis DCLXXXIII censores fuerunt L. Gellius Poplicola, Cn. Cornelius Lentulus Clodianus. Censura enim ab anno DCLXVII fuit intermissa, quare scribit Asconius Pedianus « hoc igitur tam triste seve» rumque nomen populus sic oderat, ut intermissum esset per plurimos » annos, quos nunc Orator propter infamiam corruptorum judicum dicit » plebem ipsam, quæ antea recusabat, exposcere (8)." Aspere hi censuram gesserunt. Nam cum in senatu legendo ejus Principem constituissent Q. Catulum (9), quatuor amplius et sexaginta senatu moverunt (10)

(1) Vid. Livius Epit. lib. LXXXIV.
(2) Vid. Cic. pro. Dom. cap. 32.
(3) Vid. Plin. lib. VII. cap. 48. ibique Harduin. Val. Max. lib. VIII. cap. 13. Ex. 4.
(4) Hic nummus invenitur apud Goltzium ad hunc annum.
(5) Vid. Cic. in Verr. Act. II. lib. I. cap. 55.
(6) Vid. Livius l. c.
(7) Vid. Euseb. in Chrom. ad h. a.
(8) Vid. Ascon. Ped. ad. Cic. Divinat. in Q. Cæcil. pag. 20.
(9) Vid. Dio Cass. lib. XXXVI. pag. 14.
(10) Vid. Livius Epit. lib. XCVIII.

inter quos erat C. Antonius, cui causas notæ subscripserunt censores « quod propter æris alieni magnitudinem prædia manciparet, bonaque » sua in potestate non haberet (1);" vel « quod socios diripuerit: quod » judicium apud M. Lucullum Prætorem accusatus recusaret turpi alle- » gatione, se cum Græcis hominibus in urbe non posse æquo jure con- » tendere (2)." In his erat quoque P. Lentulus Sura, qui non diu ante Consul, fuerat, et Q. Curius (3). Hi quoque Equitum centurias recognoverunt, uti constat e Plutarcho, cujus verba operæ pretium est hic inserere » Τότε δὴ προεκάθηντο μὲν ὁι τιμηταὶ, Γέλλιος καὶ Λέντλος, ἐν κόσμῳ, καὶ πάροδος ἦν τῶν ἱππέων ἐξεταζομένων. Ὤφθη δὲ Πομπήïος ἄνωθεν ἐπ' ἀγορὰν κατερχόμενος, τὰ μὲν ἄλλα παράσημα τῆς ἀρχῆς ἔχων, ἄυτος δὲ διὰ χειρὸς ἄγων τὸν ἵππον. Ὡς δ' ἐγγὺς ἦν καὶ καταφανὴς ἐγεγόνει, κελεύσας διασχεῖν τοὺς ῥαβδοφόρους, τῷ βήματι προσήγαγε τόν ἵππον. Ἦν δὲ τῷ δημῷ θαῦμα καὶ σιωπὴ πᾶσι, τοῦς τ' ἄρχοντας αἰδὼς ἅμα καὶ χαρὰ πρὸς τὴν ὄψιν ἔσχεν. Εἶτα ὁ μεν πρεσβύτερος ἠρώτησε, Πυνθάνομαί σου, ὦ Πομπήïε Μάγνες εἰ πάσας ἐστράτευσαι τὰς κατὰ νόμον στρατείας; Πομπήïος δὲ μεγάλῃ φωνῇ, Πάσας (ἔιπεν) ἐστράτευμαι, καὶ πάσας ὑπ' ἐμαυτῷ αὐτοκράτορι. Τοῦτ' ἀκούσας ὁ δῆμος ἐξέκραγε, καὶ κατασχεῖν οὐκ ἔτι τὴν βοὴν ὑπὸ χαρᾶς ἦν· ἀλλ' ἀναστάντες οἱ τιμηταὶ προέπεμπον αὐτὸν ὄικαδε, χαριζόμενοι τοῖς πολίταις ἑπομένοις καὶ κροτοῦσιν." (4) Lustro, quod hi condiderunt, censa sunt civium capita nongenta quinquaginta millia (5).

Conf. Sigon. pag. 268. Onuph. Panv. pag. 277. Pigh. pag. 311. Goltz. pag. 170. Hooke pag. 440.

Anno urbis DCLXXXVIII solus Onuphrius censores fuisse existimat, quod Dio scribit, censores quum de danda iis, qui trans Padum sunt,

---

(1) Vid. Ascon. Ped. ad Cic. Orat. in toga candid. pag. 145.

(2) Vid. Plut. in Cæsare cap. 4.

(3) Vid. Dio Cass. lib. XXXVII. Conf. Cic. pro Cluent. cap. 42. Cn. Lentuli censoris meminit Cicero Act. II. in Verr. lib. V. cap. 7. pro Dom. cap. 47. pro Flacco cap. 19. L. Gellii Poplicolæ censoris meminit Val. Max. lib. V. cap. 9. — Aul. Gell. lib. V. cap. 6.

(4) Vid. Plut. in Pompejo cap. 22. Idem narrat Apophthegm. pag. 566.

(5) Vid. Livius Epit. lib. XCVIII.

civitate inter se contenderent, non solum nihil aliud egisse, sed magistratu etiam abdicasse (1). Hos fuisse putat M. Crassum et Q. Catulum, quod Plutarchus hos consulares viros nominat, et Q. Catuli censoris meminit (2).

Vid. Onuph. Panv. pag. 273. Goltz. pag. 172.

Anno urbis DCLXXXIX censores fuisse eosque se magistratu abdicasse scribunt Sigonius, Onuphrius et alii, quod Dio tradit censores nihil egisse, cum eos Tribuni plebis in senatu legendo impedirent, timentes ne senatu ipsi ejicerentur (3). Dissentiunt tamen in illorum nominibus definiendis. Onuphrius enim et Goltzius putant hos fuisse L. Aurelium Cottam et Q. Cæcilium Metellum Pium; et Q. Metellum Pium in censura Aurelii Cottæ collegam fuisse propterea existimant, quod Dio hunc esse mortuum hoc anno tradit (4); et hanc causam fuisse, cur ante lustrum conditum L. Cotta se magistratu abdicarit. Sigonius contra et Pighius in illius locum posuerunt P. Servilium Isauricum. E Plutarcho autem constat, L. Cottam gessisse censuram, cum Cicero consulatum peteret (5), qui et Censorius a Cicerone vocatur (6): Sigonius, qui L. Cottæ collegam fuisse P. Servilium Isauricum putat, hoc eo probari putat, quod apud Valerium Maximum (7) Censorius vocatur, et constat ante hunc annum illum non censuram gessisse. Horum præterea nullam mentionem apud veteres invenimus, eosque non lustrum condidisse exinde probari potest, quod triennio post censores id condiderunt, ut mox videbimus.

Conf. Sigon. pag. 275. Onuph. Panv. pag. 273. Pigh. pag. 319. Goltz. pag. 172. et Hooke pag. 441.

LUSTRUM LXIX.

Hoc lustrum conditum videtur anno urbis DCXCII, sed a quibus cen-

(1) Vid. Dio. Cass. lib. XXXVII. pag. 33.
(2) Vid. Plut. in Pomp. cap. 16.
(3) Vid. Dio Cass. lib. XXXVII. pag. 33.
(4) Vid. Dio Cass. lib. XXXVII. pag. 46.
(5) Vid. Plut. in Cic. cap. 27.
(6) Vid. Cic. pro Dom. cap. 32. et alibi.
(7) Vid. Val. Max. lib. VIII. cap. 5. Ex. 6.

soribus, difficile est definire, cum nemo veterum horum nomina indicat. Conjicit tamen Onuphrius hos fuisse P. Servilium Isauricum, et Mam. Aemilium Lepidum Livianum, quod hic a Valerio Maximo (1) Censorius vocatur, et illum ex eodem auctore constat Principem senatus fuisse (2), quodque nullo loco legitur Principem senatus fuisse, nisi censorium et consularem virum. Censum hoc anno fuisse actum tradit Dio Cassius; scribit enim eodem anno a censoribus omnes, qui magistratus gessissent, in ordinem senatorium relatos fuisse, etiam ultra definitum ac legitimum senatorum numerum (3). Cicero quoque in epistola ad Atticum, quæ scripta est, Coss. M. Pupio Pisone Calpurniano, M. Valerio Messala Nigro (qui hoc anno, de quo nunc agimus, consules fuerunt) memorat vectigalium locationem, scribens: « Asiani, qui de » censoribus conduxerant, questi sunt in senatu, se, cupiditate pro» lapsos, nimium magno conduxisse: ut induceretur locatio, postula» verunt (4)." Lustrum vero sequenti anno esse conditum, posse confici putat Pighius ex alia Ciceronis epistola, quæ scripta est Q. Metello, L. Afranio Coss., in qua invitat ut Romam ante lustrum redeat. « Nam ne » absens censeare, inquit, curabo edicendum et proponendum locis om» nibus. Sub lustrum autem censeri germani negociatoris est. Quare cura, » ut te quamprimum videamus (5)." Præter hæc de hoc lustro vel censoribus nihil memoriæ proditum reperi.

Conf. Sigon. pag. 280. Onuph. Panv. pag. 274. Pigh. pag. 337. Goltz. pag. 173. Hooke pag. 443.

LUSTRUM LXX.

Hoc lustrum conditum videtur anno urbis DCXCVIII. Censores enim hoc anno creatos fuisse ex Cicerone collegi posse videtur, qui in Epistola ad Atticum, quæ data est a Cicerone non diu post ejus reditum ab exilio,

---

(1) Vid. Val. Max. lib. VIII. cap. 5. Ex. 6.
(2) Vid. Val. Max. lib. VII. cap. 7. Ex. 6.
(3) Vid. Dio Cass. lib. XXXVII. pag. 50.
(4) Vid. Cic. Epist. ad Attic. lib. I. Epist. 17.
(5) Vid. Cic. Epist. ad Attic. lib. I. Epist. 18. in fine.

scribit se legatione Pompeji non adeo obstrictum, quin integrum esset, si comitia censorum proximi consules haberent (Marcellinum et Philippum intelligit) vel censuram petere vel votivam legationem suscipere (1). In alia autem Epistola, quam dedit consulibus Pompejo et Crasso, « Sane, » inquit, scire velim; num censum impediant Tribuni diebus vitiandis, » totaque de censura, quid agant, quid cogitent (2)." Censores vero qui fuerint nemo tradit. Sigonius alterum ex iis fuisse existimat M. Valerium Messalam Nigrum, qui a Plinio (3) et Valerio Maximo Censorius appellatur. Huic collegam addit Onuphrius M. Calpurnium Bibulum, quod Valerius eum amplissimæ dignitatis et summis honoribus functum tradit (4). Censum vero egisse censores ex Lege Clodia, quæ prohibebat aliquem ignominia notare, qui non accusatus apud censores atque damnatus esset, docet Valerius (5) « Helvius Mancia Formianus, inquit, libertini filius » ultimæ senectutis L. Libonem apud censores accusabat. In quo certa- » mine cum Pompejus Magnus humilitatem ei ætatemque exprobrans, » ab inferis illum ad accusandum remissum dixisset; non mentiris, in- » quit, Pompeji, venio enim ab inferis L. Libonem accusator, sed dum » illic moror, vidi cruentum Cn. Domitium Ahenobarbum deflentem, » quod summo genere natus, integerrimæ vitæ, amantissimus patriæ, » in ipso juventutis flore tuo jussu esset occisus." Hæc autem Clodii lex, qua censoria potestas, quantum ad mores attinet, maxime erat debilitata, non diu obtinuit; Q. Metellus Scipio enim anno urbis DCCII hanc legem abrogavit, pristinamque censoriam potestatem restituit (6). Porro neque de hoc lustro, neque de censoribus, qui id condiderint, quid memoratu dignum apud veteres auctores invenitur.

Conf. Sigon. pag. 287. Onuph. Panv. pag. 275. Pigh. pag. 386. Goltz. pag. 175. Hooke pag. 448.

---

(1) Vid. Cic. Epist. ad Attic. lib. XI. Epist. 25.
(2) Vid. Cic. Epist. ad Attic. lib. IV. Epist. 9.
(3) Vid. Plin. lib. VII. cap. 12.
(4) Vid. Val. Max. lib. IV. cap. 1. Ex. 15.
(5) Vid. Val. Max. lib. VI. cap. 2. Ex. 8.
(6) Vid. Dio Cass. lib. XL. pag. 147. Conf. Cic. pro Sextio cap. 25. in Pison. cap. 4. ibique Asconius Pedianus.

LUSTRUM LXXI.

Censores App. Claudius Pulcher, L. Calpurnius Piso Cæsoninus hoc lustrum condidere anno urbis DCCIII, uti constat e Dione Cassio: qui tradit in historia hujus anni, hunc App. Claudium, cum Pompejanis partibus faveret, multum præter suam voluntatem Cæsarianis partibus profuisse. Multos enim, cum eos notaret, et tum e senatu, tum ex Equestri ordine moveret, a bonis partibus abalienasse; inter quos senatu movit C. Sallustium Crispum, et C. Curionem Tribunum plebis, nisi collega L. Piso et consul L. Aemilius Paullus obstitissent. C. Sallustium vero propter stupra et adulteria senatu ejectum fuisse refert Auctor Declamationis in Sallustium, his verbis « Et quod hunc movere possit, » Patres conscripti, factum ac dictum turpe, quem non puduit palam, » vobis audientibus, adulterium confiteri! Quodsi nihil pro me tibi respon- » dere voluissem; sed illud censorium elogium App. Claudii et L. Pisonis, » integerrimorum virorum, quo usus est quisque eorum, pro lege palam » universis recitarem: nonne tibi viderer æternas inurere maculas, quas » reliqua vita tua eluere non possit? Neque post illum delectum senatus, » te unquam videmus, nisi forte in ea te castra conjecisti, quo omnis » sentina Reipublicæ confluxerat (1)." Hi censores cum vellent sumtus coercere, qui fiebant in signa et tabulas, ad senatum retulerunt, ut de eo senatus consultum fieret: quod viri docti conficiunt ex verbis Ciceronis « de censoribus, maximeque de signis, tabulis, quid fiat; referaturne (2)." Et ex Epistola M. Cœlii ad Ciceronem, ubi legitur « Scis Appium censorem » hic ostenta facere? de signis et tabulis, de agri modo, de ære alieno acer- » rime agere? Persuasum est ei, censuram, lomentum aut nitrum esse. » Errare mihi videtur (3)." Præterea Cœlius queritur Ciceroni de Appio Claudio, qui cum L. Pisone censuram gerebat, quod Appius tentaverat eum notare, scribens. « Pudet me tibi confiteri, et queri de Appii, ho-

---

(1) Vid. Declamat. in Sallust. pag. 217. tom. II. C. Crispi Sallustii edit. Haverkampi. De hac Declamatione videatur Sebast. Corradus in Quæstura pag. 151. et seqq.

(2) Vid. Cic. Epist. ad Att. lib. VI. Epist. 9. ibique viri docti.

(3) Vid. Cic. Epist. ad Divers lib. VIII. Epist. 14.

minis ingratissimi, injuriis, qui me odisse, quia magna mihi debebat beneficia, cœpit: — Posteaquam vero comperi, eum collegam tentasse, « deinde aperte cum quibusdam locutum (1)." Exstant ipsius Ciceronis hujus temporis ad Appium, cum censuram peteret, epistolæ. Sic ad eum scribit « Te enim (ut spero) propediem censorem audiemus: cujus Ma- » gistratus officia, quæ sunt maximi animi, summique consilii, tibi dili- » gentius et accuratius, quam hæc, quæ nos de te agimus, cogitanda esse » censeo (2)." Et alio loco, « Vale, et in censura, si jam es censor, ut » spero, de proavo multum cogitato tuo (3)."

Pighius existimat illud lustrum ab his esse conditum, quod Plutarchus scribit ante bellum civile censa fuisse trecenta viginti millia (4).

Conf. Sigon. pag. 295. Onuph. Panv. pag. 276. Pigh. pag. 423. Goltz. pag. 177. Hooke pag. 451.

Anno urbis DCCIX a C. Julio Cæsare censum esse actum existimant Sigonius et Onuphrius; idque probare conati sunt ex Suetonio et Plutarcho « Recensum populi, ait Suetonius, nec more nec loco solito, sed » vicatim per dominos insularum egit (5):" ex quibus verbis non solum conficiunt, censum egisse Julium Cæsarem, sed etiam eum non ut antea fiebat, in villa publica, verum vicatim hunc peregisse: sed capite I. jam docuimus ibi non *censum* sed *recensum* legi, et Suetonium significare pauperiores, qui publice frumentum accipiebant, adeoque Sigonii et Onuphrii opinionis nullum est in hoc Suetonii loco præsidium. Locus autem Plutarchi, quem illi mihi spectare videntur, sic se habet « Μετὰ δὲ τὰς θέας γενομένων τιμήσεων, ἀντὶ τῶν προτέρων δυεῖν καὶ τριάκοντα μυριάδων ἐξητάσθησαν αἱ πᾶσαι πεντεκαίδεκα. Τηλικαύτην ἡ στάσις ἀπειργάσατο συμφορὰν, καὶ τοσοῦτον ἀπανήλωσε τοῦ δήμου μέρος.(6)" Sed hunc Plutarchi

(1) Vid. Cic. Epist. ad divers. lib. VIII. Epist. 12. initio. Antiquitus legebatur *collegium tentasse*, sed legendum existimat Grævius *collegam tentasse*, id est, L. Pisonem.

(2) Vid. Cic. Epist. ad divers. lib. III. Epist. 10. in fine.

(3) Vid. Cic. l. c. Epist. 11. in fine. L. Piso *censor* vocatur a Cæsare Belli civilis lib. I. cap. 3.

(4) Vid. Plut. in Cæsare cap. 55.

(5) Vid. Suet. in ejus vita cap. 41.

(6) Vid. Plut. in Cæsare cap. 55. Conf. Joann. Rualdi Animadv. in Plut. tom. IV. pag. 864. et seqq. Vit. Paral. Plut. edit. Reiskii.

locum spurium esse, saltem in eo auctorem errare ostendit Joannes Rualdus, qui existimat, numquam Cæsarem censum egisse, ob multas causas, præcipue autem ob eas, quod apud Suetonium nullum Cæsariani census vestigium deprehenditur, et vel maxime quod Augustus, omnium Cæsaris patris actorum prædicator, nullum a Julio Cæsare, aut ab alio quopiam post annum DCLXXXIII censum populi Romani esse actum testificatur. Sic enim Rualdus explicat verba monumenti Ancyrani « in consulatu » sexto censum populi collega M. Agrippa egi. Lustrum post annum al- » terum et quadragesimum feci (1)." Quæ Rualdi sententia non rejicienda videtur; sane hoc negari nequit, plerosque ex male intellecto Suetonii loco in opinionem incidisse, censum quoque a Cæsare fuisse peractum (2).

LUSTRUM LXXII.

Hoc lustrum conditum est anno urbis DCCXXV a Cæsare Augusto ejusque collega M. Agrippa, quo lustro censa esse civium capita quadragies semel centena et sexaginta quatuor millia, constat ex Eusebio. Censuram enim, sed sine magistratus honore, collega M. Aprippa gessit, quod ex Suetonii verbis probatur « Recepit, inquit, et morum legumque » regimen æque perpetuum: quo jure, quamquam sine censuræ honore, » censum tamen populi ter egit; primum ac tertium cum collega, me- » dium solus (3)." Statim senatum examinavit, cumque in hunc ordinem multi Equites et plebeji homines bellis civilibus adsciti essent, eos adhortatus est, ut ipsi de genere et vita sua judicium ferrent, quo effecit, ut multi sua sponte senatu cesserint (4). Inter consulares legit, cum designati tantummodo fuissent, C. Clivium et C. Silanum, et hunc

---

(1) Vid. Monum. Ancyr. tab. II. lin. 2.

(2) Cum autem Cæsar Africam subegisset, senatus ei singulares honores decrevit, inter quos erat, ut morum præfectus esset in triennium. Cæsar vero hunc titulum sprevit; scribit enim Suetonius « non enim honores modo nimios recepit, ut continuum consulatum, perpetuam » Dictaturam præfecturamque morum." Vid. Suet. in ejus vita cap. 76. ibique Casaub. Quare Cicero Cæsarem Præfectum morum appellaverit, vid. Cic. Epist. ad Divers. lib. IX. Epist. 15. ibique Corrad.

(3) Vid. Suet. in vita August. cap. 27.

(4) Vid. Dio Cass. lib. LIII. pag. 494. Suet. in ejus vit. cap. 35. Vell. Paterc. lib. II. cap. 89.

amplissimum Magistratum nondum gessissent (1), et patriciorum numerum supplevit (2). In Equitibus autem recensendis severus fuit; nam cum a senatu decem adjutores impetrasset, unum quemque Equitum vitæ rationem reddere coegit, atque improbatorum hos pœna, illos ignominia notavit. Et sic quidam ab illo notati sunt, quod pecunias leviore usura mutuati graviore fœnore collocaverant. Verumtamen astuta fuit ejus dissimulatio in moribus corrigendis. Quum enim in censura ad eum quidam adolescens adduceretur, qui mulierem uxorem duxerat, cum qua habuerat adulterii consuetudinem, multisque esset accusatus « seditiones, » inquit, multa mala nobis attulerunt. Ea oblivioni demus: idque curemus, ne quid simile in posterum fiat (3);" et tandem, ut multorum invidiam evitaret, per alios senatum examinari, indignosque ex eo moveri curavit (4). Præterea censum senatorium ampliavit Augustus, et auctore Suetonio, pro octingentorum millium summa duodecies H. S. taxavit (5); aliter tamen Dio Cassius, qui scribit Augustum hunc censum taxasse 1000 H. S. (6). Quam difficultatem fere omnem tulisse Perizonium (7) cap. I. jam ostendimus: quare satis sit animadvertere, hoc facto fere neminem reperiri, qui inter senatores legi vellet, ita ut filii et nepotes ipsi senatorum non solum senatoriam dignitatem non appeterent, verum etiam ea se abdicarent. Præterea cum plerique Equitum, quod eorum patrimonium bellis civilibus attritum esset, non auderent ludos spectare e quatuordecim, pronunciavit « non teneri ea quibus ipsis parentibusve Equester » census umquam fuisset (8)." Multa edicta quoque Augustus in censura edidit: sic edixit, ne quis senator injussu suo extra Italiam abiret (9). Sic edictum de matrimoniis edidit, et Q. Metelli censoris orationem hujus

---

(1) Vid. Dio Cass. l. c.
(2) Vid. Dio. Cass. l. c. et Tacit. Annal. lib. XI. cap. 25. ibique Lips.
(3) Vid. Dio Cass. lib. LIV. pag. 532.
(4) Vid. Dio Cass. lib. LV. pag. 556.
(5) Vid. Suet. in ejus vita cap. 41.
(6) Vid. Dio Cass. lib. LIV. pag. 533.
(7) Vid. Jac. Perizon. de lege Voconia pag. 198
(8) Vid. Suet. l. c.
(9) Vid. Dio Cass. lib. LIII. pag. 494.

argumenti in senatu recitavit (1). Inter multa opera, quæ exstruxit, præcipua sunt forum cum æde Martis Ultoris, templum Apollinis in Palatio, ædes Jovis Tonantis in Capitolio et porticus cum bibliotheca Latina et Græca (2). Primo autem lustro, quod Augustus cum Agrippa condidit, censa sunt capita quadragies centum millia et sexaginta tria millia (3). Ex eodem fragmento constat Augustum secundum lustrum condidisse Coss. C. Mario Censorino, C. Asinio Gallo, id est, anno urbis DCCXLVI, idque confirmatur verbis Suetonii « censum tamen populi » ter egit, primum ac tertium cum collega, medium solus (4)." Multi itaque viri docti sunt, qui hunc medium Augusti censum eundem illum fuisse existiment, cujus meminit Evangelista Lucas (5), verum Chishullius, vir miro judicio et ingenii acumine præditus, hos errare ostendit: nam apud Lucam significari censum provincialium, in fragmento contra censum civium Romanorum: hic itaque fuit census civium Romanorum ex instituto Servii Tullii; ille vero ab Augusto institutus, ut omnes populos imperio Romano subditos eorumque facultates cognosceret (6). De censu Augusti in provinciis hoc loco agere supervacaneum videtur, cum capite I. de hoc jam diximus. De tertio lustro ab Augusto condito mox dicemus.

Conf. Sigon. pag. 322. Onuph. Panv. pag. 287. Pigh. pag. 505. Goltz. pag. 203.

Anno urbis DCCXXXI rursus censores creati sunt, nimirum Paullus Aemilius Lepidus, et L. Munatius Plancus. Nam cum Augustum perpetuum censorem constituere vellent Romani, Augustus hunc honorem repudiavit, quam ob causam hi censores creati sunt, qui e privatis postremi censores

(1) Vid. Suet. in ejus vita cap. 89.

(2) Vid. Suet. in ejus vita cap. 29. Dio Cass. lib. LIII. pag. 497.

(3) Vid. Monum. Ancyr. Tab. II. lin. 4. ibique Chishul. pag. 184. ejus Antiquit. Asiat. Lond. MDCCXXVIII.

(4) Vid. Suet. in ejus vita cap. 27.

(5) Lucas II. 1.

(6) Vid. Chishul. l. c. cujus magni viri sententiam confirmat Ernestus Opusc. Philol. et Crit. pag. 422. et seq.

fuerunt. Et, si Dioni Cassio fidem habeamus, Tribunal ipsorum, cum prima magistratus die conscenderent, corruit et confractum est, et propterea nulli alii censores horum similes creati sunt (1). Revera autem hoc tempore nulli erant censores; nam Augustus plerumque, quæ eorum officii erant, peregit. Sic prohibuit, ne illi, qui Equestris essent ordinis, cum Equites et fœminæ illustres adhuc in orchestra saltarent, illud facerent (2). Sic quoque edictum edidit, ne quis plus reliquis civibus in ludos impenderet, neve munus gladiatorium injussu senatus aut sæpius duabus quotannis vicibus, aut plurium, quam centum et viginti gladiatorum exhiberet (3). E quibus dictis et ex auctorum silentio patet, hos nihil memoratu dignum fecisse in censura : quod etiam ex Velleji Paterculi verbis probari potest « Planci et Lepidi, inquit, censura inter discordia acta, neque ipsis honori, neque Reipublicæ usui fuit, cum alteri vis censoris, altera vita deesset (4)." Ex quibus verbis simul patet, Paullum Aemilium Lepidum in Magistratu mortuum esse, adeoque lustrum non esse conditum. L. Munatius Plancus a Plinio (5) et Valerio Maximo (6) Censorius vocatur.

Conf. Sigon. pag. 328. Onuph. Panv. pag. 294. Pigh. pag. 515. Goltz. pag. 106.

LUSTRUM LXXIII.

Hoc lustrum conditum est anno urbis DCCLXV ab Augusto et Tiberio ejus filio. Quod Suetonio confirmatur, scribente, cum omina recenseat, quæ Augusti mortem præcesserunt « Cum lustrum in Campo Martio magna » populi frequentia conderet, aquila eum sæpius circumvolavit, trans-

(1) Vid. Dio Cass. lib. LIV pag. 521.

(2) Vid. Dio Cass. lib. LIV. pag. 522.

(3) Vid. Dio Cass. lib. LIV. pag. 521.

(4) Vid. Vell. Paterc. lib. II. cap. 95. ibique Ruhnkenius, qui ad hanc censuram respexisse existimat Propertium lib. IV. Eleg. XI. v. 41. ubi uxor Paulli Cornelia ait:

Me neque censuræ legem mollisse, nec ulla
Labe mea vestros erubuisse focos.

De Paullo censore vid. J. Perizon. Anim. Histor. cap. III. pag. 121. seqq.

(5) Vid. Plin. lib. XIII. cap. 3.

(6) Vid. Val. Max. lib. VI. cap. 8. Ex. 5.

» gressaque in vicinam ædem, super nomen Agrippæ ad primam litteram » sedit: Quo animadverso, vota, quæ in proximum lustrum suscipi mos » est, collegam suum Tiberium nuncupare jussit. Nam se, quamquam » conscriptis paratisque jam tabulis, negavit suscepturum, quæ non esset » soluturus (1)." Eusebius autem hoc lustro censa esse scribit nonagies ter centena et septuaginta millia (2). Præterea e Suetonio constat, Tiberium post censum actum et lustrum conditum in Illyricum abiisse, sed ex itinere revocatum fuisse propter Augusti ægritudinem (3). Sed jam magis magisque censura in desuetudinem abire cœpit, maxime quod attinet ad morum regimen, quod ex Tacito potest probari, qui tradit Tiberium quibusdam senatoribus de luxu conquerentibus, respondisse: « non id » tempus censuræ, nec si quid in moribus labaret, defuturum corrigendi » auctorem (4)."

Conf. Sigon. pag. 339. Onuph. Panv. pag. 302. Pigh. pag. 541. Goltz. pag. 234.

LUSTRUM LXXIV.

Hoc lustrum conditum est anno urbis DCCC a Tib. Claudio et L. Vitellio. Claudius autem censuram gessit, assumto sibi collega L. Vitellio. Claudii censura, quod ad mores corrigendos attinet, maxime fuit inæqualis. Nam in Equitibus recensendis Equitum, qui corruptelis et adulteriis famosus erat, nihil aliud monuit, quam « ut aut parcius ætatulæ indulge- » ret, aut certe cautius; addiditque, quare enim ego scio, quam amicam » habeas?" Sic et alium probrosum, sed quem pater probatissimum affirmabat, sine ignominia dimisit, dicens « habere censorem suum." Cumque neminem nisi sua voce vitæ rationem reddere passus sit, multos notavit, quod se inscio ac sine commeatu Italia excessissent; splendidumque virum, qui Græciæ Provinciæ princeps erat, sed ignarus latini sermonis, albo judicum evasit et in peregrinitatem redegit. Et inter ejus notabilia

(1) Vid. Suet. in vita August. cap. 97.
(2) Vid. Euseb. in Chron. ad h. a. Joann. Rualdi. l. c.
(3) Vid. Suet. in vita Tiberii cap. 21.
(4) Vid. Tacit. Annal. lib. II. cap. 33. Conf. lib. III. cap. 53.

in censura refert quoque Suetonius, eum uno die viginti edicta edidisse « inter quæ duo, quorum altero admonebat, ut uberi vinearum pro- » ventu bene dolia picarentur; altero, nihil æque facere ad viperæ mor- » sum quam taxi arboris succum (1).” Præterea cum de senatu supplendo ageretur, Galliæ Comatæ, jam dudum civitatem Romanam assecutæ, jus adipiscendorum honorum in urbe indulsit, eaque de re in senatu habuit orationem (2), adeo ut primi Hedui jus senatorum in urbe adepti sint: quo tempore etiam quemque vetustissimum e senatu in numerum Patriciorum adscivit. Probris famosos senatu movit, eos monendo: « Secum quisque de se consultaret, peteretque jus exuendi or- » dinis facilem ejus rei veniam et motis senatu et excusatis simul pro- » positurum: ut judicium censorum, ac pudor sponte cedentium permixti, » ignominiam mollirent (3).” Constat quoque L. Vitellium, lecto jam senatu et lustro condito, Agrippinæ in gratiam filio Neroni Octaviam ambientis cui desponsata prius erat, L. Silanum senatu movisse, ei objicientem amores sororis Juniæ (4). Lustrum Claudius condidit, quo censa sunt civium capita LXIX centena XLIV millia (5) L. Vitellii censuræ exstat nummus, in cujus una parte censor in sella curuli sedens, et quatuor figuræ adstantes conspiciuntur, e quibus una censori aliquid porrigere videtur; hujusque nummi inscriptio est L. VITELL. CENS II. S. C. (6).

Conf. de hoc lustro Onuph. Panv. pag. 315. et Pigh. pag. 579.

LUSTRUM LXXV.

Hoc lustrum conditum est anno urbis DCCCXXVII a Vespasiano et Tito, cum censura, sub Nerone intermissa, rursus a Vespasiano repetita sit:

---

(1) Vid. Suet. in vit. Tib. Claudii cap. 16. ibique Casaub.

(2) Vid. Tacit. Annal. lib. XI. cap. 24.

(3) Vid. Tacit. Annal. lib. XI. cap. 25.

(4) Vid. Tacit. lib. XII. cap. 4.

(5) Vid. Tacit. lib. XI. cap. 25. Conf. Euseb. et Cassiod., qui tamen non plane cum Tacito conveniunt; hic enim descriptionem Romæ esse factam indicat biennio ante, ille vero triennio. Vid. et Plin. lib. X. cap. 2. et Scalig. et Casaub. ad Suet. in vita Tib. Claud. cap. 16.

(6) Vid. Spanhem. l. c. Diss. VIII. pag. 736. et seqq.

de qua sic legimus apud Suetonium : « Suscepit et censuram, ac per totum » imperii tempus nihil habuit antiquius, quam prope adflictam nutantem- » que Rempublicam stabilire primo, deinde ornare. — Ac ne quam occa- » sionem corrigendi disciplinam prætermitteret, adolescentulum fragrantem » unguento, cum sibi pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu asper- » natus, voce etiam gravissima increpuit, *maluissem allium aboluisses* (1)." Hoc autem anno Vespasianum et Titum Flavium Vespasianum hoc lustrum condidisse, patet ex loco Censorini « Idem tempus, inquit, anni » magni Romanis fuit, quod lustrum appellabant, ita quidem a Servio » Tullio institutum, ut quinto quoque anno, censu civium habito, lustrum » conderetur, sed non ita a posteris servatum. Nam cum inter primum » a Servio rege conditum lustrum et id, quod ab Imperatore Vespasiano » V et Cæsare III Coss. factum est, anni interfuerint paullo minus sex- » centis quinquaginta, lustra tamen per ea tempora non plura quam » septuaginta quinque sunt facta. Et postea plane fieri desierunt (2)." Ex quibus verbis satis constat, hoc lustrum septuagesimum quintum fuisse ultimum, quod apud Romanos conditum est; quæ sententia et ex eo probari potest, quod nullam alius lustri post hoc, de quo nunc loquimur, conditi mentionem apud veteres inveniamus, et quod censura magis magisque in desuetudinem abierit.

Domitianus enim deinde *perpetui censoris* nomen sibi arrogavit, qui titulus in multis ejus nummis invenitur, quodque confirmatur auctoritate Dionis Cassii, qui Domitianum censorem διὰ βίου appellat; simulque indicat, Imperatores tempore Dionis, cum rem ipsam haberent, non petiisse censuram, verum tantummodo hoc censoris nomen in censu agendo tulisse (3). Quid autem Domitianus, muneris censorii ratione habita, peregerit, recenset Suetonius; et sane severus fuit in luxuriam et

---

(1) Vid. Suet. in vita Vespasian. cap. 8. et in vita Titi Flavii Vespasiani cap. 6. Plin. lib. III. cap. 5. et lib. VII. cap. 49.

(2) Vid. Censorin. de Die Nat. cap. XVIII. in fine. Ex Fastis autem Onuphrii et Goltzii aliorumque constat, inter primum lustrum a Servio Tullio conditum et hoc lustrum interesse sexcentos quadraginta annos. Plinius autem lib. III. cap. 5. Vespasiani censuram conjicit in annum DCCCXXVIII. Vid. Scalig. de Emend. Temp. lib. II. pag. 174.

(3) Vid. Dio Cass. lib. LIII. pag. 509.

libidinem. Nam virum Quæstorium senatu movit, quod gesticulandi et saltandi studio teneretur: Equitemque Romanum « ob reductam in ma- » trimonium uxorem, cui dimissæ adulterii crimen intenderat, erasit » judicum albo (1)."

Censoris nomen quoque Hadriano tribuitur ab Apulejo « quod Impe- » rator et Censor Divus Hadrianus fecit et factum memoriæ reliquit (2)." Hunc titulum vero Trajanum recusasse satis apparet ex Plinio « ideo non » censuram adhuc, non præfecturam morum recepisti, — perge modo, » Cæsar, et vim effectumque censuræ tuum propositum, tui actus obti- » nebunt. Nam vita principis censura est perpetua (3)."

Denique censorum apud Romanos fere nulla exstat memoria, atque e Trebellio Pollione constat, sub Deciis Valerianum, omnium consensu censorem creatnm, hunc Magistratum accipere noluisse, ejusque sententiam hujusmodi fuisse « quæso, sanctissime Imperator, ne ad hanc me » necessitudinem adiges, ut ego judicem de populo, de militibus, de » senatu, de omni penitus orbe, judicibus et Tribunis, ac Ducibus. Hæc » sunt, propter quæ Augusti nomen tenetis, apud quos censura desedit; » non potest hoc implere privatus. Veniam igitur hujus honoris peto, » cui vita impar est, impar est confidentia, cui tempora sic repugnant, » ut censuram hominum natura non quærat (4)."

Ceterum hic Magistratus, inprimis quod ad morum regimen attinet, apud Romanos magis magisque in desuetudinem abiit, adeo ut vix *Censoris* nominis mentio apud Historiæ Augustæ Scriptores inveniatur; quod docte, ut solet, exposuit Spanhemius (5), qui omnium optime egit de censura sub Imperatoribus.

---

(1) Vid. Suet. in ejus vita cap. 8.

(2) Vid. Apulej. Apolog.

(3) Vid. Plin. in Panegyr. cap. 45. § 4 et 6.

(4) Vid. Trebell. Poll. Valer. Pat. et Fil. pag. 247.

(5) Vid. Spanhem. l. c. Diss. VIII. pag. 733-742. Conf. etiam Bodin. de Republ. lib. VI. cap. 1. pag. 972. Thomas. l. c. cap. 2. § 21. et seqq. Jul. Cæs. Buleng. de Imp. Rom. lib. I. cap. 21. pag. 53. et Gravina l. c. pag. 271.

CORRIGENDA.

Pag.	5	*linea*	26.	Robertellus, *lege:* Robortellus.
——	8	——	4.	Cives, *lege*: civis.
——	13	——	14.	απογραψομένος. *lege:* απογραψομένους.
——	25	——	26.	posuit, *lege:* posuerit.
——	58	*Nota*	1.	Dian. Val. *lege:* Dion. Hal.
——	62	*linea*	15.	Rom. pag. 16. *lege:* pag. 16.
——	73	*Nota*	1.	Conf. a Duker. *lege*: Conf. Duker.
——	74	*linea*	13.	Fabius. *lege:* Fabium.
——	113	——	1.	hos lustrum. *lege:* hoc lustrum.
——	120	——	17.	invitat ut Romam. *lege:* invitat Atticum ut Romam.
——	—	——	25.	Collegi posse. *lege:* Colligi posse.